LIBELLVS

de origine Anime a Ferdinando Ponzetto tituli ſancti Pancratii presbitero Cardinali nuperrime editus:



Ferdinandus Ponzettus Presbiter Card. Melfiteñ. Petro de Paccis Patritio Florentino Salutem.

MVLTA: ut noſti: de animarum ſtatu/ uiribus /& operibus in tertio libro noſtræ naturalis philoſophiæ retulimus. Et quia in reditu ad Vrbem inuenimus adulteratum ſermonem de parte animæ: quæ ſapit & intelligit: non uitio impreſſoris tantum: ſed impietate liguris: qui præerat impreſſioni. Ne igitur iſte locus: ac etiam de immortalitate animarum: de qua omnes homines exigunt certificari: remaneat ambiguus: cunctas fere rationes hactenus a ſapientibus inuentas /& relatas breuiter declarare /& abſoluere. Illorum uero: qui de ea non naturaliter uel minus idonee ſunt locuti: manifeſtare propoſuimus. Et quamuis amice optime obſequiis fideliſſimi Leonis Papæ. X. emancipatus uidearis: cum tamen in utraq; lingua peritiſſimus ſis: cupio ut quando aliquid tibi temporis ſupererit: libellum ipſum perſpicias: & ſi quod non aſſecutum interpretem in eo inueneris: non pigeat monere: uel etiam: ſi tibi libuerit: caſtigare. Ornatum uero uerborum: ſicut in aliis codicibus noſtris prætermiſimus: ne forte cõtingat legẽtes in equiuocis laborare. Vale.

Rubrice Librorum: Tractatuum: & Capitulorum.

Liber Primus.

Tractatus primus de origine Anime.

Tractatus. ii. de origine formarum.

Liber Secundus

Tractatus primus de illis que valent ad notitiam principalis quesiti.

Tractatus Secundus de imagine creaturarum.

Tractatus Tertius an substantie separate sint in loco.

Liber Tertius.

Tractatus Primus de immortali tate Anime.

Tractatus Secundus de presup ponendis in isto processu.

FINIS

Liber Primus

Tractatus Primus de origine Anime.

Capitulum primum de impedientibus cognitionem spiritualium.

NON Est facile declarare quæsita, de quibus diuersæ sectæ & leges discrepant: & interdum contraria tradere emulantur. Sæpe nanq; beatitudines / & miseriæ statutæ ab eis animabus loco præmii uel pœnæ ordinantur potius ad commoda uel incommoda corporis. Cum tamen bona animæ consistant in solis contemplationibus supernorum. Esto enim ꝙ multi retrahantur ab istis, quando ſm naturam sensuum tendunt in illa quæ delectant, & refugiunt cuncta, quibus contristantur. Est tamen manifestum, ꝙ unaquæq; anima / uel eius potentia gaudet de suo perfectibili: & quanto ipsa est nobilior & capacior, & eius perfectiuum ei præsens est præstantius, tanto magis delectatur. Et propterea gaudium Dei est in ultimo gradu delectabilium: quia essentia eius obiectum est semper cum suo intellectu. Quantum uero sit tale gaudium, a nemine perspicitur. Dicunt tamen posse accidere animam esse ita indispositam, ut cognoscat eius bonum, & non delectetur in eo. Nam & maleficiatus est certus ꝙ coitus delectat, & non concupiscit illum. Cœcus etiam a natiuitate audiuit sæpe ꝙ pulchra delectant, & non exigit ui-

dere illa. Similiter nec surdus cupit audire armoniam. Sed istorum sane non est par ratio: nam quando cæcus nouit per intellectum, ꝙ pulcra delectant uisum: potest illa desiderare. non sic surdus natus, nec forte maleficiatus. Est bene uerum ꝙ multa impedimenta intrinseca interdū adeo augentur: ut non solum uirtus comprensiua nollet, uel non posset percipere suum conueniens, sed etiam uehementer abhorreret illud a quo est apta nata perfici: & forte appeteret oppositum, puta gustatiua, quando est infecta colera, nedum tunc non exigit dulcia, sed refugit illa: & aliquando indispositio non sinit percipere dulcedinem / nec amaritudinem: mundato tamen ore & organo redit ad suam naturam. Sæpe etiam formidolosus non percipit uictoriam, nec delectatur in ea. Idem posset accidere / occupato magno dolore: quoniam impressiones fortes prohibent ingressum aliis delectabilibus. Quorsum hæc nisi quia conuolutus cœno uoluptatum detestabilium. Similiter illaqueatus amore uitioso, non degustat liberales / & honestas delectationes: nec comprensionem Dei / nec intelligentiarum separatarum, nec illa quibus perficiuntur. Si tamen absolueretur a curis noxiis, posset perspicere ordinem causarum & supereminentiam earum: incipiendo prius a cognitione inferiorum / & sui ipsius, & deinde a substantiis mouentibus orbes celestes / & postea angelorum. Et tandem remouendo / & tribuendo potest intelligere quid est bonum absolute, & quid est uerus decori / & causa omnium: nec mirum ꝙ possit intelligere separatas substantias: quia cum istis habet anima nostra aliquam similitudinem, qua possunt inuicem comparari, difficiliter tamen quia non conueniunt in uniuoco.

Capitulum .ii. an anima habeat esse extra corpus.

PLatonici in diuersis locis diuersa loquuntur. Nam interdum aiunt ꝙ quando producuntur, disseminantur per stellas: nec declarant modum, per quem descendunt in corpora. Non enim sufficit persuadere ꝙ per naturalem inclinationem, quoniam intellectiue non inclinantur ad incognita, nec ad deteriora, nec ad inferiora: sed potius ad superiora: ueluti ad earum perfectionem: quod ipsi fatentur: Cum aiunt ꝙ post descensum earũ cupiunt redire ad Deum mediis uirtutibus: quod etiam est dictum sine ratione, quoniam maiorem cognitionem habebant de Deo antequam descendissent / q̃ post. Et non minus aberrant asserendo ꝙ postquam fuerunt productæ, remanserunt per tempus in stellis ad deliberandum: quoniam discursus separatarum fit in tempore imperceptibili: Vel si anima est forma operatiua, si non operabatur, illic fuisset ociosa: uel si operabatur per intellectum solum, tunc non poterat ruere in sensus: quia carebat organis, quare nec aberrare, & ulterius, nec aliqua perpetuo relegari in aliquo elemento: quod enim non potuissent errare, constat, quia non erant adhuc illis impositæ leges. Si uero, quæ fuerant eis ostensæ, erant fatales, non poterant deuitari. Si etiam descendissent in mundum per spacium loci, fuissent partim in termino, a quo, & partim ad quem: quod est impossibile: quia unaquæꝗ est indiuisibilis: Nec potest fingi ꝙ anima sit quanta: quia si sic, non posset transire per orbes sine penetratione corporum, concedendo insuper qđ ante descensum poterant moueri motu generabilium, oportet concedere, ꝙ habebant corpora & quantitatem. Sed forte Plato uoluit ostendere productionẽ animæ dependere

a Deo : esse uero illius cum corpore procedere a cœlo, a quo in instanti unionis recipit influxum illius planetæ, qui est dominus ascendentis in illa hora : & istud esset minus absonum in astrologia, q̃ uerificare mores hominum/fortunia/& infortunia ex natali, seu ex casu seminis: quorũ iudicia sunt magis uana. Si dicas ꝙ ſm istũ sensum tempus unionis non posset præcise sciri, non refert : quoniam ex directione planetarum in suis domibus & effectuum subsequentium posset melius uerificari.

Capitulum. iii. an animæ obliuiscantur in circulo lacteo.

ISstud est impossibile, quoniam si obliuio causatur ex defectu memoriæ. Anima uero extra corpus caret organis sensibilibus, quibus conseruantur similitudines rerum, quæ sunt causæ memoriæ, & reminiscentiæ. Nec galaxia seu circulus lacteus ab albedine sic appellatus, est talis naturæ, ut ex se possit inferre obliuionem. Aut enim causatur ab exalatione calida & sicca eleuata ex radiis solis uel astrorum : ut dicunt Peripatetici, ꝙ communiter improbatur : quoniam si materia istius esset uapor, ascendens adeo in altum, resolueretur a calore solis. Vnde alii dicunt, ꝙ cum ipsa excedat ambos tropicos, & in parte maioris circuli sint plura astra : ideo ista faciunt illam claritatem : quare si est refractio illius circuli causata ratione luminis plurimarum stellarum in eo : ideo est de natura cœli & non uaporis/nec exalationis : si enim est protensus a pedibus Geminorum per principium Sagittarii : ibi uero non ascendit uapor nec exalatio Aristoteles tamen dicit, ꝙ si causaretur ex sola refractione luminis sine uapore : non appareret aliquando maior, aliquando minor : & forte secundum cum non oportet ut uapor ascendat

adeo in altum. Communiter tamen tenetur ꝙ causa eius formalis est lumen refractum: & pars cœli super quam refrangitur: est causa illius materialis: ideo excluditur uapor & exalatio. Sed utcunq; siue sit de natura cœli/siue non: ex nullo tamen accepto: nec ab anima, nec a cœlo, nec ab exalatione potest argui animam ante corporis ingressum posse illic pati obliuionem: sicut nec in ea, nec in cœlo potest imprimi aliquod extraneum, nec materiale.

Cap. iiii. de solutionibus dubiorum & ulteriori notitia.

CONstat igitur ꝙ Platonici asserentes animam humanam produci ab anima mundi: aberrāt: quia ambæ sunt productæ: nec, ut aiunt, erant tunc sub actu incompleto: & conuersæ ad Deum recipiebāt ab eo complementum suarum formarum: quoniam conuersio est actio: quæ non competit nisi supposito: nec Deus producit ad extra, nisi essentia sit supposita in tribus personis. Arabes uero dicunt ꝙ Deus producit primam intelligentiam: Et ista inquantum intelligit causam, a qua processit, producit aliam: & inquantum intelligit seipsam, producit primum cœlum cum eius materia & forma. Idem de aliis usq; ad ultimam producentem animam seu animas nostras: Est autem impossibile ꝙ anima rationalis producatur per actum intelligendi alicuius intelligētiæ: cum enim quælibet intellectio ipsarum sit accidens: non poterit producere substantiam ex nihilo. Et hoc nō est dubium: quia istud cōpetit soli Deo: nam omnia alia habent naturam participatam & terminatam. Et quando auctor de causis dixit ꝙ primum rerum creatarum est esse, licet per esse intellexerit primam intelligentiam proximiorem Deo: non tamen tribuit ei ꝙ possit creare. Nam si uiuere producitur ex esse, & sen-

tire et uiuere & rationale præsupponit utrunq; : si esse est primum : & uiuere secundum non potest inferri. est ergo uiuit: & longe minus est proximior Deo: ergo producit, uel creat: Non tamen per primum rerum creatarum potuit intelligere ens seu entitatem: quia si sic: productio posset terminari ad relationem: quoniam ista est etiam ens: quod est impossibile: quia posset existere sine proprio termino

Cap. V. q intelligentia non possit esse medium inter Deum & hominem.

MEdium non sumitur in proposito inter duo contraria, sicut nec inter affirmata & negata. Et quando dicitur q inter opposita immediata est media relatio: istud est solum sm intentionem: & non sm rem: aliter omnia opposita haberent medium: sicut omnia quodãmodo possunt intentionaliter referri. quare repiretur inter contradictoria: quod est ĩpossibile & falsum. In oppositis etiam priuatiuis solum reperitur medium subiecti & non formæ: quia ista participat de extremis puta rubeum respectu albi & nigri, & tepidum respectu calidi & frigidi. Potest tamen in illis reperiri medium temporis: ut dicitur de catulo: qui ante nouem dies non est cæcus nec uidet. Inter uirtuosum uero & uitiosum: iustum & iniustum non reperitur: nisi medium subiecti: puta homo qui non est unum nec reliquum. Ad propositum igitur intelligentia non potest esse medium inter Deum & animam nostrã: quia nec potest participare æque de ambobus: nec communicare in natura nec est medium subiecti: quia non est susceptiua diuinæ naturæ, nec animæ: nec temporis: quia æternitas est mensura Dei: & tempus mensura motus: inter quæ nullum potest assignari medium: quia formale & complementum temporis est ab anima.

Cap. vi. quæ propinquitas ad primum arguat maiorem perfectionem.


QVamuis aliqua sit perfectio simpliciter simplex: ut quando illud quod prædicatur de aliquo est melius q̃ si nõ prædicaretur: uel si prædicetur suum contradictorium: puta uita intellectualis est melior in substantia separata: q̃ si de ipsa pdicaretur oppositum uitæ: Et aliqua sit perfectio s̃m quid ut humanitas in homine quæ est melior q̃ non humanitas: non autem in angelo. Si igitur ista sunt uera: perfectiones rerum non debent sumi penes maiorem uel minorem appropinquationem ad Deum: quia est æqualis in omnibus. Est enim indistans a quacunq; re creata: quare ab aliis sumitur penes distantiam a non gradu essendi. Nam signatis duabus formis ut uiuere & intelligere non gradus intelligentiæ magis distat a non esse simpliciter: q̃ non gradus uitæ: eo q; non gradus intelligentiæ est ipsa uita: & non gradus uitæ est ipsa ratio formæ inanimatæ. Et quia non gradus entis est simpliciter non gradus: ideo ex non esse ipsius potest inferri non esse cuiuslibet alterius: & non econtra. Perfectionum igitur illæ sunt natura priores quæ possunt affirmari de aliquo sine affirmatione alterius: non sic posteriores.

Cap. vii. de illis quibus constat anima s̃m Platonẽ.

ISte dixit in Thimeo illam præcedere naturam aliarum rerum: quemadmodum consonantiæ armoniacæ præcedunt alias proportiones quadam dignitate: nisi enim anima constaret ex tali proportione: non gauderet modulatione cantus. Et declarans inquit q; Deus produxit animam non ex substantia immutabili: nec etiam ex uariabili: sed ex ambabus extraxit tertium genus siue tertiam naturam

diuisam

diuisam in partes, uidelicet unum duo quattuor / & postea octo. Et ex alio latere ultra illam primam unitatem posuit tria nouem & uigintiseptem. Et subdit ꝙ inter ista latera reperitur perfecta proportio: Nam inter unum & duo est proportio dupla: & inter duo & tria sexquialtera: similiter inter tria & quattuor sesquitertia: inter tria & nouem tripla: inter quattuor & nouem sesquiquarta: & sic de aliis, ut patet in serie istius figuræ: cuius unum latus continet numeros pares: aliud impares. ita tamen ꝙ principium amborum sit illa unitas. Deus igitur curuauit in orbem utrunq; latus: & minorem locauit intra maiorem. nam cum latus seu linea numeri paris fuerit curuata in orbem, ita ꝙ caput lineæ ubi ponitur octo, iungatur capiti ubi ponitur unum: tunc fit flexio a sinistro in dextrum: linea autem seu latus imparium curuata taliter ꝙ caput ubi ponitur uigintiseptem iungatur capiti ubi est unitas, flectitur a dextro in sinistrum: ex quibus credidit ostendere completam/ & perfectam proportionem animæ: quæ licet componatur ex diuersis, redit tamen in seipsam. Alibi tamen uidetur tenere ꝙ anima cõstet ex unitate / & numeris: & unitas significet unam essentiã inuariabilem: & numeri potentias diuersas requisitas in operando. Et interdum uidetur tribuere unitatem Deo: a cuius perfectione cum omnia alia deficiant: ideo cadunt in multitudinem significatam per numeros: uel forte per multitudinem uoluit ostendere genus, & per unitatẽ differẽtiã, quæ terminat speciem. Nam, ut Aristoteles inquit: Plato distinxit multa per terminos logicales: uel potius locauit unitatem in culmen: ut ostenderet animam non solum posse penetrare corpora / & membra solida: sed etiam perspicere quæ sunt sẽsibus nostris occulta: naturæ uero manifesta. Multi autem dicunt ꝙ Plato crediderit quantitatem discretam præcedere continuam. Sed ex hoc sequeretur ꝙ idem esset principium ambarum: eo ꝙ si punctus: qui



est principium lineæ, non est nisi unitas habens positionem: ex tractu uero puncti causatur linea: quare erit etiam principium omnium figurarum: quia nulla reperitur sine lineis. & ulterius si est principium figurarum, erit etiam omnium corporum: quia ista non constant sine figura, quam sibi determinat species. Pictagorici uero, qui ante Platonem accomodarunt numeros ad res, non habebant istum sensum: sed dicebant ꝙ impar pertinet ad marem, & par ad fœminam, quæ simul sunt completum principium generationis. Et dices forte ꝙ crediderunt taxare numerum animarum: quoniam si unaquæqꝫ debet coaptari corpori, sicut quodlibet constat ex longitudine / latitudine / & profunditate: & non reperitur quarta dimensio, pariter nec quartum genus animarum / præter uegetabilem / sensibilem / & rationalem. Sed sane idem potest suaderi respectu utriusqꝫ quantitatis de continua dictum est: quia ex tractu puncti indiuisibilis causatur linea: & ista tracta ſm latum, constituit superficiem: quæ quando trahitur in profundum constituit corpus, quod habet sex superficies / & octo puncta. Et de discreta similiter: quia unitas est loco puncti, & binarius loco lineæ, & triplicatus loco superficiei, & ter triplicatus perfectionem corporalem attingit. Illi tamen conabantur extollere mathematicã, quæ agit de utraqꝫ quãtitate: quia dicebant ꝙ proportionata dualitati causat consonantiam appellatam diapason, & proportionata ternario diapente, quæ est proportio tripla, & inter quattuor & unũ quadrupla etiam diapason, & inter duo & tria sexquialtera, & inter quattuor & tria sexquitertia diatesseron: nouem autem ad octo dicunt assimilari consonãtiæ uocatæ tonus: quia ex octo sonis imparibus uidelicet septẽ planetaꝝ / & octauæ sphæræ ſm eos resultat unus sonus cõcors oĩbus sphæris. An aũt illa corpora sonent, in prima parte philosophiæ naturalis declaratũ est. Crediderunt etiã ꝙ ꝓportiones nume

rerum possent accommodari erraticis, & primam a Luna ad terram dicebant esse minimam: a Luna uero ad Mercurium duplam uocatam diapason: & a Mercurio ad Venerem sexquialtera diapente: a Venere ad Solem sexquitertia diatesseron: Martis uero ad Venerē triplam: inter quæ cadunt diapason & diapente: & inter Solem & Iouem dupla diapason: inter Saturnum uero ultimum & Martem triplam diapente & diatesseron: similiter in aliis quere ab eis qui etiam per sex numeros notos & unam unitatem credide runt ostendere proportiones omnium fere rerum: quod potest potius imaginari q̄ perspici. Non enim considerabāt ꝙ numeri sunt posteriores rebus.

Ca. viii. de numero cubo.

CRedentes insuper manifestare cum numero septenario perfectiones omnium rerum, repetunt ꝙ primus cubus parium oritur ex binario, cum dicitur bis duo bis faciunt octo. Et primus imparium ex trinario: cum dicitur ter tria ter faciunt uigintiseptem: qui iunctus cum octo resultat trigintaquinque, qui multiplicatus per senarium in totum resultant ducentii & decem dies, qui constituunt septem menses: sed multiplicantur ex senario: quoniam ex omnibus numeris infra decem ultra quem non numeramus: quia omnes alii numeri sunt replicationes denarii: solus inq̄ senarius constat ex suis partibus: continet enim distincte medietatem sui & tertiam & sextam partem: nam tria sunt medietas & duo tertia & una sexta: unde uocatur numerus plenus. Et aliqui laudant octenarium numerum tum quia ueteres iurabant per octo numina, tum quia si constat ex septenario & unitate: ideo non generatur, nec generat: quia unitas est impartibilis. sed quoniam ista sunt ſm fictionem mathematicā, debuisset potius relinquere illa suis opificibus.

Capitulum .ix. de perfectione numeri septenarii, & ulteriori notitia.

VT autem possimus respondere, ad obiecta cogimur adhuc referre, q uel iste numerus constat ex uno & sex, uel ex duobus & quinq; /uel ex quattuor & tribus, utcunq; est perfectus. Nam si ex uno, qui est impar, & sex, qui est par, ex isto inquam cum sit fons/& origo omnium aliorum, cum alii ex aliis nascantur, designatur principium uocatũ ab eis Mineruam seu Palladem, quia sine patre seruauit perpetuam uirginitatem. Si uero constat ex duobus & quinq;, cum dualitas sit primus numerus, eo q unitas non est numerus, sed principium ipsius: ideo refertur ad primam spheram: quia forte sicut isti tribuitur duplex motus pariter binarius potest partiri/& ad multa accommodari. Q d' etiam quinarius sit perfectus, dicunt patere, uel quia repsentat quinq; zonas, uel quinq; quæ creduntur esse causæ rerum, uidelicet deus/mens/anima mundi/coelum/& quattuor elementa. Si etiam constat ex tribus & quattuor, continebit multas perfectiones. Q uaternarius constat ex uno & tribus: unitas est principium: & ternarius est origo primi cubi imparis: Potest etiam laudari denarius, quia similiter constat præcise ex suis partibus uidelicet uno duobus tribus & quattuor. Sed iam patuit q numeri nullo modo possunt esse causæ rerum non intrinseca: quia ista sunt materia/forma/& priuatio: nec extrinseca, quia nec finis/nec efficiens. Nam si inter omnes motus primus est localis, quia omnes præsupponunt istum: ideo omnia animalia & magnitudines debent prius esse, & moueri saltem localiter, quã numerari quia iste est actus animæ/& non rerum: Ad illa igitur quæ dicuntur uidelicet q crises egritudinum fiunt in septimo aberrant ualde. Nam licet Crises raro fiant in septimo

quia humores non ſunt adhuc præparati ad expulſionem fiunt tamen interdum uel irritata natura a prauo humore, uel forte, ut dicunt aſtrologi, quia quando egritudo incepit luna exiſtente in aliquo ſigno puta Ariete calido/ & ſic eo ſemper in ſeptimo die eſt in ſigno illi oppoſito, uidelicet in Cancro frigido/ & humido: unde ſicut natura fuit debilitata in principio egritudinis per calidum/ & ſiccum, in oppoſito ſigno fortificatur, in quo confortata inſurgit ad expellendum humores fouentes egritudinem. Cum enim Luna ſit nobis propinquior cæteris, & habeat dominium ſuper humida: ideo in aliquo aſpectu ad Solem roborat corpora noſtra, & aliquando indiſponit. Non tamen ipſa nec alia entia citra Deum diffundunt ſuas uirtutes ſuper numeros/ aut dimenſiones. Nam quattuor triplicitates Zodiaci ſunt cauſæ tranſmutationis quattuor elementorum: ſimiliter ſtellæ in ſeptẽtrione operantur, ne terra in totũ cooperiatur ab aquis. nec ſtellæ fixæ, quæ ſunt potiores cauſæ rerum poſſunt diſtingui numero ſeptenario: quia ſunt pene infinitæ. Nec refert, quæ dicuntur de ſolſticiis in ſeptimo menſe: quia Sol in uno uel fere anno complet curſum per mediũ zodiaci: unde cum cõtinue moueatur per eclipticã, quæ eſt linea diuidens zodiacum per medium. Cumque non patiatur retrogradationem, ideo equinoctia fiunt tempore terminato. Cum etiam dicunt quod pericula accidunt in diebus ſiue annis, in quibus completur ſeptenarius: Similiter in initiis operum Aſtrologi potius iudicant iſta ex natiuitate: diuidunt enim duodecim domos ſecundum dominium & aſpectum planetarum in eis: ex quibus pronoſticantur fortunia/ & infortunia, quin potius iudicant mortem ex nona domo: nam quando in iſta reperitur dator annorum, non præteritur tempus uitæ. Et quando laudant ſeptenarium, ex eo quod quattuor uirtutes oriuntur de iraſcibili, uidelicet clementia/ intrepidatio/ fortitudo/ &

tollerantia, & tres de concupiscibili: non intelligunt quid loquantur: quoniam uirtutes non nascuntur ex potentiis animæ, sed moderantur istas. Nec morales sunt septem sed quattuor tantum in genere, uidelicet fortitudo / temperantia / iustitia / & prudentia. Nec intrepidatio est uirtus, sed pars fortitudinis. Siquis etiam uellet connumerare expressiones moralium, essent duodecim, ut patuit in prima parte moralis philosophiæ. Intellectuales uero non sunt nisi quinque, uidelicet sapientia / scientia / & prima principia uocata intelligentia: & id ratione partis scientificæ. Prudentia uero & ars sunt respectu agibilium. Similiter cum dicunt ꝙ septem sunt principalia in re publica, non est sic, quia sunt longe plura, & aliquando pauciora. Et quando dicunt longitudinem intestini distingui per tres septenarios: in ueritate non est nisi unum continuum habens figuras diuersas, quæ sunt posteriores, & non causæ rerum. nec est uerum ꝙ sint septem, quæ uideri possunt uidelicet corpus / spacium / figura / magnitudo / numerus / motus / & status, tum quia nullum istorum uidetur sine colore, tum quia nullum spacium est sine sua figura: nec magnitudo est distincta a corpore. Nam licet mathematicum constet ex tribus, non tamen naturale resoluitur in illa.

Capitulum decimum de solutionibus aliorum dubiorum.

Est autem absurdum, ꝙ anima applicata orbi rotundo efficiatur istius figuræ: quia sic, posset transferri in corpus, quod non posset cognosci: quia si circulatio est circuli reuolutio: diffinitiones uero notificant potius res, prout sunt in quiete / q̃ in motu: qui incipit ab imperfecto, & facit distare rem a suo termino. Sequeretur insuper ꝙ

intelligentia esset magnitudo partibilis: quia circulus est de genere partibilium: nec debent tribuere animæ unitatem. quia si ista est punctus habens positionem, sicut puncta non existunt: pariter nec anima existeret, uel saltem si haberet situm in corpore: mors non esset aliud q̃ resolutio quantitatis in puncta. Sed forte Plato per numeros notificauit ordinem: quia Deus significatus per unitatem: potest in infinitum protrahere res numeratas cum successiua generatione: aut uoluit inferre ꝙ motus circularis sit similis motui rationis: quia potest reuerti ab eodem in idem, patet in demonstratione quia, & propter quid: quibus eadem res potest utroq; processu demonstrari: uel forte per circulum designauit finem esse cõiunctum cum forma, quod intelligitur de ultimo, qui est uelle se assimilare causæ, a qua processit.

Capitulum undecimum de animabus astrorum.

QVamuis Plato in Thimeo dixerit animam mundi per omnes globi partes æqualiter porrigi, ut tactis interioribus partibus, extrema quoq; ambitu circundetur: sic ꝙ orbem terrestrem, uidelicet mundum inferiorem in suum ambitum moueri, hoc est regi ab illa una anima mũdi. Aliqui tamen Platonici ponũt in uno quoq; astro duas puta in Luna Baccum lincintum & Thaliã musam in Mercurio Baccum / Silenum & Euterpe: in Venere Lisium & Erato: in Sole Triete Ritum & Melpoemene: in Marte Basareum & Clio: in Ioue Sabasium & Terpsicorem: in Saturno Emphietum & Polymniã: in octaua sphera Peritomum & Vraniam: ultimo in toto mundo Baccum Eubonium & Calliopem. Sed mirum est ꝙ philosophi trãscendant referendo quæ sunt relinquẽda poetis: qui solebãt cum unaquaq; musa depingere aliquem Bacchum: quasi ꝙ

nemo possit fieri sapiens, nisi fuerit debacchatus / seu inebriatus amore illius scientiæ repræsentatæ per illam. Illi tamen posuerunt etiam duas in quolibet elemento: in terra Plutonem & Proserpinam, in aqua Oceanum/& Thetim: in aere Iunonem, & in igne Phanetam/& Auroram. Sed labor esset uanus improbare ista: qua constat ſm scientiam de natura nullum corpus posse informari, nisi ab una forma: nec unum mobile separatum moueri per se, nisi ab uno motore. Et licet isti possint multiplicari ſm quantitatem mobilium, non tamen ſm diuersitatem figurarum præsertim zodiaci: in quo, ut patet in quinto de legibus, Plato ponit duodecim numina uidelicet sex deas & totidē deos: Nam in Ariete locant Palladem, & in Tauro Venerem, in Gemini Phœbum, in Cancro Mercurium: in Leone Iouem: in Virgine Cererem: in Libra Vulcanum: in Scorpione Martem: in Sagittario Dianam: in Capricorno Vestam: in Aquario Iunonem: in piscibus Neptunum. Si enim credidit istos esse intelligentias mouentes: sciebat enim ꝙ non possunt esse plures primi. Si igitur sunt motores: tunc ille circulus haberet plures & diuersos. & si adderentur: deferētes essent plures q̄ quadraginnta octo enumerati ab Aristotele duodecimo Metaphisicæ. Si uero concederentur: eccentrici & epicicli essent tot ut nulla possit haberi certitudo de numero illorum. Si igitur non est necesse ponere formā: nisi quæ arguitur ex operatione: nec materiam nisi quæ concluditur ex transmutatione: pariter nec motores nisi iuxta numerum mobilium: nec motori cœli sunt tribuendæ diuersæ potentiæ: quia motus: eius non est ad nouam formam: nec ad nouam operationem: sed ad nouum ubi: multiplicatio etiam motorum arguit materiam in potentia: quæ nullo modo est tribuenda cœlo/nec sphæris cœlestibus: quia mouerentur cum labore: & non posset perpetuari:

Cap.xii. quomodo anima mundi differt ab humana.

SI illa mundi concederetur, esset perfectior in gradu formæ, & terminata ad unum modum agendi: humana ad diuersos, illa permanet in proposito. ista potest mutari, illa fuit producta sola: humanæ ſm Platonem multæ: simul illa applicatur statim orbi. de humanis dixit ꝙ Deus disseminauit, ut considerarent omnem naturam: & ostendit illis dispositiones, quæ inhærent orbibus cœli: ex quibus possent prospicere præmia uirtutum / & supplicia uitiorum. Et ſm eum unaquæq; habet uehiculum, quod est corpusculum acceptum ab illo orbe, in quo fuit producta: & uocatur eius indumẽtum: & per illud dicunt ꝙ descendit in corpus, & cum eodem redit ad cœlum: cuius ratione forte putauit illam esse immortalem: animas tamen spherarum dixit habere uehicula purissima. Et subdit ꝙ q̃primum humanæ transeunt terminum circuli lactei seu galaxiæ, statim subiiciuntur imperio Ditis: unde obliuiscũtur omnium superum: & propterea nostrum scire est reminisci, hoc est inquirere per memoriam illa, quæ fuerunt oblita ex discessu a circulo lacteo. Quæ uero sunt adhuc in Cancro, quia nondum reliquerunt lacteum, habentur in numero deorum: & cum ueniunt ad Leonem, auspicantur futura damna &c.

Capitulum. xiii. de illis, quæ referuntur ab aliis.

DIcunt ꝙ una translatio Thimei habet consatis autem seu sparsis animabus, ut certis interuallis oriretur animal, quod esset ad cultum deorum aptissimum: & forte dixit interuallis donec corpora sint præparata: uel ut Picta-

gorici dicebant quod animæ manebāt in singulis spheris per tēpus, & in illis ducebant uitam demonicam: in terra uero humanam uel brutalem. & uolunt quod illæ quæ descendunt in mundum per Cancrum, reuertantur per Capricornum: quæ duo uocantur portæ Solis: quia in ambobus fiunt solstitia in uno hyemale / in altero æstiuale: in uno Sol est in auge, uidelicet in Cancro / & in Capricorno in opposito augis: sed appellauerunt Cancrum portam hominum: quia per istam descendunt animæ in mundum & Capricornum portam deorum: eo quod illæ quæ reuertuntur sunt fere effecti dii: uel forte quia Luna quæ habet dominium in Cancro, est causa generationis: per quam animæ descendunt: & Saturnus in Capricorno causa mortis: per quam fit reditus ad cœlum: hæc referuntur: quæ si habebant uerum intellectū debebant illum declarare.

Cap. xiiii. de lumine quo animæ secundum eos recognoscunt Deum / & quibusdam impertinentibus.

VIdentur imaginari quod ante earum descensum possint uti duobus luminibus uidelicet naturali / & infuso. Nam si semper uterentur isto semper uacarent diuinis / & nunquam descenderent ad informanda corpora. Si uero semper naturali semper mallent uti uiribus corporeis. Quando tamen aliqua grauatur ista cupiditate: descendit in corpus: in quo mouendi / sentiendi / generandi / & augedi operationes exercet: quia optat perpetuare speciem: non tamen interea perditur supernaturale: aliter non posset redire ad Deum. Istud etiā quando perditur uel remittitur dicitur posse recuperari mediis quattuor uirtutibus moralibus &c. Et declarando addunt quod animæ descēdunt in mundum media qualitate. Sed est impossibile: quia si ista est accidens: non potest per se

producere aliquid ad existentiam: sicut nec agere nisi in uirtute substantiæ conpositæ. Illa uero corpora carent materia in potentia: de qua ut inquit Aristoteles, Plato pauca considerauit: quia conabatur saluare omnia cum elemētis: quæ tamen præsupponunt materiam. Nec debebat ei tribuere multitudinem: quia absolute considerata sine quantitate saltem interminata, non est de se diuisibilis. Et quoniam gradus magis ascendunt, sunt perfectiores: ideo aliqui dicunt ꝙ angelus producitur in umbra Dei: & anima in umbra angeli: sed istud non est de mente Platonis: quia in Phedone dixit animam trahi in corpus ex noua ebrietate, eo ꝙ inter Cancrum & Leonem reperitur crather Liberi patris/seu Bacchi, a quo inebriatæ/obliuiscuntur, diuina una tamen magis/q̄ alia. & in anima causatur opinio ex defectu memoriæ: minus uero inebriatæ/facilius recordantur. Partem autem animæ purissimam, in qua sustentantur diuina, uocant nectar, quod dicunt esse potum deorū: de quo ueteres dicebant, ꝙ degustantes de isto facti sunt dii: Alii uero mortales, quos improbat Aristoteles tertio Metaphisicæ, quia uel gustarunt propter necessitatem, uel ob delectationem: & nullo istorum modorum, quod est ex se mortale, potest fieri immortale. Nam & ipsi uocabāt partem impuriorem animæ fluuium Letheum. Et cum dicunt Liberum patrem tinanio furore fuisse in frusta diuisū/& integrum reuiuiscere, credunt ostendere ꝙ animæ ex se ipsis in corpora se effundant, quibus relictis, ad Deum redeunt: & ꝙ tunc moriuntur, quando descendunt in corpora, & reuiuiscunt, quando purgatæ uitiis reuertuntur. Vocant etiam illam mortem bonam, quando anima relinquit corpus: & non econuerso. Si tamen sunt sociæ corporum/cum terminata proportione numerorum sequitur ſm eūm ꝙ quamdiu proportio perseuerat: uiuitur: & cum deficit/soluitur armonia uitæ.

Ca. xv. de anima Terræ.

QVamuis ista propter ineptitudinem non reputetur habere animam: suadent tamen oppositum: quoniam fascinationes. quæ interdum componuntur ad roborandas/uel infirmandas mentes hominum non possunt fieri sine uirtutibus aliquarum herbarum & lapillorum: quæ reperiuntur in sola terra: quam dicunt habere organa: quia lapides sunt dentes/& herbæ pili. De igne uero & aere non dubitant: quia ratione lucis/& propinquitatis ad cœlum/dicũt habere animas nobiliores respectu aquæ/& terræ: quæ ratione impuritatis cõtinent sensibiliores contrarietates. Sed quamuis sit impossibile falsum/purum elementum informari anima: quia si ista est datrix uitæ esset in aliquo elemẽto: nullum tale posset cum ea conseruare uitam: sicut nec anima mediante illo nutrire: nec generare: nec in uno simplici possent formari organa sentiendi. Anima uero non intelligit sine sensibus: quia nec sine organis: nec aliqua planta quãtumuis imperfecta potest generari/nec nutriri ex uno puro elemẽto si sic/nutritio nõ fieret per similia. Multi etiã platonici dicũt ꝙ in partibus impuris aquæ sunt pisces: & in partibus puris demones aquei: quos Orpheus uocat Nereides: & addunt ꝙ possunt uideri in parte nebulosa aeris propinqua. Et Zoroastes qui fuit ante Platonem tempore Beli/& Nini/dicebat ꝙ possunt uideri in oculis claris. Porphyrius uero ꝙ non possunt uideri nisi quando cum aere esset commixtus ignis/& solum in oriente & meridie: si tamen essent: nullus ex illis posset tangi: quia potentia tactiua est respectu contrarietatis. Apuleius uero uocat animas hominum demones/hoc est prudentes: & refert tres species: primam uocat lares idest domesticos: secundam lemures .i. bonos: tertiam laruos/uidelicet turpes: quæ similiter sunt fabulosa. Est bene uerum ꝙ Plato/& Socrates ante eum

per tria

per tria genera demoniorum designarunt tres uitas, uidelicet contemplatiuam/actiuam/& uoluptuosam. Nec ponere illos cõsonat dictis Platonis, quia nõ posuit nisi tria æterna uidelicet Deum/idæam/& primam materiam, quam uocat chaos, hoc est sine luce/seu informem mundum: formatum uero uocauit lucentem: quem Aristoteles increpat: quia so-lus posuit motum nouum. Nec materia est prima sim-pliciter: quoniam si actus est prior potentia, si materia esset æterna, fuisset simul cum actu: nec sufficit distinguere de po-tentia subiectiua/& obiectiua: quia istæ non sunt duæ po-tentiæ, sed duo respectus: quorum unus est ad terminũ, & alius ad subiectũ: & in ambobus materia æque dependet a primo, qui est in actu simpliciter. Ponendo etiam istam, oportebat cõcedere formã/& motũ: aliter materia stetisset per tẽpus infinitum incognita. Et quod refert Apuleius de demoniacis, est bene uerum ꝙ aliqui loquuntur quæ nunq̃ didicerũt, qđ Peripatetici tribuunt diuersitati/seu dispositioni humoris melãcolici. Sed iam finem fabulis imponamus.

Cap. xvi. de statu animæ humanæ ſm Aristotelẽ.

SI, ut aiunt, credidit ꝙ ueniat de foris, sequitur ꝙ nõ acce-pit esse per generationem: quare nec desinit per corru-ptionem. Sed quoniã septimo metaphisice inquit ꝙ gene-ratio terminatur ad compositum, uidetur posse inferri ipsam non esse sine corpore: quare est corruptibilis: quia cõpositũ non corrũpitur nisi per corruptionẽ formæ. Vnde pro no-titia repetemus ꝙ cũ generatio sit transmutatio, ideo potest cõparari ad duo: primo ad materiã, & de ista non oportet loqui: quia non potest terminare gñationem. Secundo ad terminũ qui producitur per eam. Et sicut aliquod potest cõ currere ad agendum, ut quo, & aliud potest agere, ut quod seu quis puta ĩtellectus est principiũ quo ĩtelligẽdi, & homo particularis ꝑprie ĩtelligit: pariter euenit de terminare gñatio nem, uidelicet primo, uel nõ primo. Nã forma terminat illã

primo, ut quo hoc est ꝙ mediante forma compositum primo, & per se accipit esse post nõ esse. Et quia aliquid dicitur per se moueri, primo in aliquo tẽpore, quando totum mouetur simul in qualibet parte illius temporis. Debet etiam considerari ꝙ aliqua est primitas mathematica, puta triãgulus habet primo in se causam præcisam suæ passionis, quæ est habere tres angulos æquales duobus rectis. De alia uero primitate naturali loquitur Arist. primo Posteriorũ uidelicet prout prædicatur semper, & s̃m quod ipsum ut esse risibile: & ista differt multum ab illa trianguli: quia risibilitas competit homini per partem uidelicet per formam specificam, quod non potest cõpetere triangulo: quia remota ab ea aliqua parte quantitatiua. remouetur etiam sua primitas secus de risibili: nam si ab homine remouetur tibia uel brachium, non propterea remouetur sua propria passio. Ad propositum igitur: concesso ꝙ compositum sit primũ, & accipiat esse per materiam & formam, & quia ista non existit nisi in composito, quare ipsa corrumpitur ad corruptionem ipsius: & de naturalibus nõ est dubium: unde siue compositum dicat tertiam entitatem distinctam a partibus siue sit idem ꝙ suæ partes utroq; modo est per se terminus generationis, & habet materiam ut partem potentialem, & formam ut actualem: & potest primo non esse non per materiam: quia ista in ratione subiecti semper manet: quare per corruptionem formæ. Adhuc si anima rationalis s̃m eũ non habuit esse ante cõpositum, saltem prioritate tẽporis: quoniam si materia disposita staret sine ea, esset frustra per totum illud tẽpus: similiter & forma si esset, & non informaret: unde nõ uidetur ꝙ crediderit animã uenire de foris, nec ꝙ putauerit ipsã esse ĩmortalẽ, quia gñatio/& corruptio sunt mutationes ad terminos oppositos. Nã qđ accipit esse per unũ, corrũpit per aliud. Adhuc si credidit ꝙ Deus continue moueat cœlũ p̃supposita sempiternitate & unitate mo

tus, non est credendum ꝙ putauerit animam intellectiuã nec aliquid aliud de nouo produci a Deo: quare nec remanere. Nam septimo Metaphisicæ inquit ꝙ omnes partes quæ possunt manere separatæ a toto, sunt elementa. Contra, quia ibidem in capitulo primo, Mouentes inquit uelut prius existentes: quæ autem ut ratio uidelicet forma. Et paulo post. Si autem posterius aliquid manet, perscrutandum est. In quibusdã enim nihil prohibet: ut si anima est tale non omnis, sed intellectus: quare uidetur uelle intellectum esse formam, & manere post mortem. Nec obstat ꝙ in tertio de anima dicat ꝙ intellectus corrumpitur quodam interiori corrupto, quia sumpsit intellectum pro uirtute cogitatiua, quæ assimilatur illi in hoc ꝙ particulariter discurrit. Verum licet supradicta auctoritas uidelicet si autem posterius aliquid manet, sit conditionalis, quæ nihil ponit in esse: & cum hoc loquatur de uno solo intellectu: quia non putauit animas particulares informare distincta corpora. Cumq; concesserit ꝙ ordine naturali corpora disponantur ad animationem ab aliis causis: & quando aliquod est dispositum, statim inducitur in eo forma. Istud inquam non ostendit ꝙ animæ intellectiuæ particulares ueniant de foris nisi forte ex quadam consequentia & non ex noua productione & minus creatione: quia ipsæ sicut & alii negarũt aliquid fieri de nihilo. Si uero coincideret cum Platone: uidelicet ꝙ animæ humanæ existerent per se anteq̃ informarent materiam: neuter posset saluari: quia asserere solum quod in materia præparata inducitur: forma ordine naturæ sermo eorum esset incompletus: quia ostendissent causam passiuam in natura, hoc est dispositionem in passo & non actiuã sibi correspondentem. Et sic sumerent naturam pro quadam necessitate ordinis uniuersi: quod nec sufficit. Nec istud credidit Aristoteles: quia dedit duas diffinitiones de ea unã generalẽ: quæ est actus corporis phisici organici

potentia uitam habentis. Et ꝙ sit actus probat tum ex diuisione entis in potentiam / & actum, seu potius ex diuisione substantiæ singularis in materiam / formam / & compositū: & ꝙ non sit potentia / nec materia, probat: quia ista est subiectum, anima uero in subiecto: quod nisi credidisset expresse, non increpasset antiquos prætermittentes subiectū in diffinitione animæ, quam esse actū suadet: quia separata a corpore nō remanet homo nisi æquiuoce: quia perdit nomen / & diffinitionem, & subdit organici, idest naturalis, ut constat in plantis: in quibus radices sunt loco oris, & cortices cutis: quia si istæ habent organa, multo magis animalia. & cum dicit potētia uitam habentis: per uitam intelligit operationem. Sed quia ista diffinitio non uidetur comprendere omnem gradum animatorum: ideo dedit aliam completiorem sumptam ex operationibus: ex quarum distinctione notificantur quattuor tantum gradus animatorum distincti in specie subalterna: ex quibus infert ꝙ anima est principium uegetandi / sentiendi / mouendi ſm locū & intelligendi. Quid autem sit ſm ueritatem, postea patebit.

Tractatus. ii. de origine formarum.

Cap. i. de illis quæ ualent ad præcognitionem.

CONstat ꝙ si Deus producit extra se uoluntarie, ideo si aliquod corpus esset dispositum ad suscipiendā animam, si non infunderet eam, non propterea cessaret habitudo actiui & passiui / seu creatiui & receptiui: quoniam eius potētia ad posse ipsam infundere nō est coartata ad actum: nec animatio est ad finem dispositionis corporis: sed ista ad finē illius sicut minus perfecta ad finem perfectioris: potest tamen infundere illam in instanti, quoniam

non habet resistens: nec anima habet partes: quarum una successiue recipiatur in una parte corporis: & alia in alia. Et aliqui asserunt ꝙ tẽpore mortis prius deficit rationalis: secundo sensitiua: & ultimo uegetatiua: quia sicut animal prius uiuit uita plantæ: secundo uita sensitiuæ: tertio intellectiuæ. Econtra in corruptione: quia primo deficit intellectiua: secũdo sensitiua: tertio uegetatiua. Signum est: quia parum ante mortem infrigidantur extrema: quando uegetatiua est discessura. Sed ꝑsupposito ꝙ generatio & corruptio sunt mutationes, quæ fiunt subito: quia si essent successiuæ, non differrent a motu uel alteratione: ideo non potest inferri ꝙ potentiæ prius corrumpantur/ q̃ essentia. Nam licet processus naturæ in generatione incipiat ab imperfectis, nõ tamen in corruptione in qua debet seruari ordo cõtrarius. nam ista non est per se intenta. Esset etiam ridiculum ꝙ essentia animæ significata per intellectiuum, prius discederet/ q̃ illæ duæ potentiæ. Infrigidatio igitur partiũ corporis extremarum causatur propter defectum spirituum & caloris naturalis, & non ex discessu intellectiuæ: quia interdum infirmi uidentur primo insanire: & paulopost redeunt, & recte intelligunt: & aliqui prope mortem pronosticantur futura: cum enim spiritus animales sint tunc purgati ab humoribus: ideo itellectus potest prospicere in illis sic purgatis species rerum & influentias cœlorum/ & alias conspirationes sanctas: quia tamen nutritio non potest fieri sine uirtute uitali spirituum in corde: ideo oportet ꝙ istis deficientibus deficiant naturales, & statim sequatur mors: unde dicitur ꝙ cor est primum quod generatur, & ultimum quod moritur. Et dato ꝙ interdum cor non sentiatur, istud posset accidere, quando meatus essent obstructi: quare ex non facere non potest inferri non posse: ut patet in apoplexia: in qua homo priuatur sensu/ & motu, & tamen uiuit.

Ca. ii. de origine potentiarum, & primo uegetatiuæ.

QVamuis multi teneant ꝙ potentiæ animæ fluant ab eius essentia ordine quodam: aliqui tamen putant ꝙ uegetatiua producatur naturaliter ex semine digesto: uel ex aliquo proportionabili concurrente uirtute cœli extrinseca. Et addunt ꝙ in eodem semine reperitur pars: quæ agit distincta ab illa quæ patitur: uidelicet pars subtilior agit: & grossior patitur. Sed si digestio est perfectio caloris naturalis: si oportet ꝙ semina prius digerantur: digesta uero fũt grossiora. posset etiam pars subtilior esse aquosa/humida/uel cruda: quare non idonea ad producẽdum. Est bene uerum ꝙ in eodem ouo potest reperiri pars agens puta gutta rubea distincta a reliquo, quod cedit loco patientis. similiter de quibusdam aliis seminibus, licet non percipiatur a nobis. Sensitiue uero habent gradus, quibus distinguuntur in diuersis animalibus. non enim est eadem in carentibus sanguine, ut in habentibus: nec in generatis ex putredine: sicut uniuocæ: nec in illis quæ discernuntur per marem & fœminam; sicut in generatis ex sola fœmina plena ouis/ut piscibus. Et esto ꝙ aliqua genita ex putredine coeant, ut anguillæ/muscæ/& similia non tñ propagant. Et si aliqua puta mures possint utroq; modo produci: nisi igitur sensitiuæ haberent gradus, multæ essent oppressæ in organis. Vegetatiuæ etiam habent perfectiores operationes in uno animali q̃ in alio: & plura concurrunt ad productionem perfectioris. oportet enim ut spiritus gignitiuus in semine maris reducatur ad actum a calore matricis: ad hoc ut agat in illud fœminæ saltem usq; ad certum tempus: postea uero informatiua sic uocata a formatione membrorum superueniens agit in utrunq;. Et licet imperfecta generentur etiam ex semine/uel ex aliquo loco istius

non tamen informatiua concurrit cum istis : quia uel sufficit calor Solis : uel si aliæ causæ concurrunt : non sunt adeo potentes . Quando autem dicitur q̄ ordo potentiarum est similis ordini animarum inter se : quia posterior determinat priorem : puta sensitiuum determinat uegetatiuum : & intellectiuum utrūq; : quia inchoatio formæ semper procedit ex potentia ad actum . Iste tamen ordo non est præcisus . Nam & si calor naturalis sit proprie instrumētū uegetatiuæ : quando tamen aduenit sensitiua : & ambo uniuntur : tunc operationes uegetatiuæ sunt perfectiores patet : quia prius non poterat producere carnem/uel ossa : sicut post aduentū illius . Quædam uero animalia parum uiuunt uel ex defectu spiritus / & caloris naturalis / uel quia parum nutriuntur : quod magis accidit generatis ex putrefactione quando caret organis nutritiuis .

Ca.iii. de inchoatione intellectiuæ .

Dicunt idem esse de rationali/quod de sensitiua respectu uegetatiuæ . Si tamen intelligunt q̄ sicut uegetatiua potest fieri instrumentum sensitiuæ : in eodem aīma li pariter ista duo instrumentum rationalis esset satis probabile . Formæ tamen generabilium distinguuntur suis gradibus : & eorum origines cognoscuntur ex illis / in quæ resoluuntur . Nam ualde imperfecta puta uapores / exalationes resoluuntur in elementa : quorum formæ cum sint remotissimæ a cœlo : ideo uix de eis potest assignari inchoatiuum nisi materia prima . Liquefactibilium uero / & coagulabilium inchoatio est in modo diminuto mixtionis elementorum : ideo suppletur a cœlo . inchoatiuum autem lapidum & metallorum & si uideatur se tenere ex parte materiæ : plus tamen manifestatur in eis uirtus cœli . & dato q̄ ambo sint centro terræ propinquiora : habent tamen for

mas permanentiores respectu uaporum / exalationum lique factibilium / & coagulabilium: Nec inconuenit q in metallis non appareat influxus siderum, sicut in aliquibus lapidibus: quia in istis apparet solum in superficie, & non in tota substantia: ut in metallis. Et quoniam nullus istorum potest generari ex alio, nec referri ad producens: nisi equiuocæ & partes illorum sunt eiusdem naturæ: cum toto ideo omnia sunt imperfectiora uegetabilibus: & dato q inchoatio istorum pendeat aliquo modo ex materia: eleuantur tamen in uno gradu supra ipsam & per unum appropinquat primo motori: unde sunt in quarto gradu & in primo, in quo incipit generatio proprie sumpta, & cum uiribus uegetabilium fit nutritio / augmentatio / & generatio. obseruat etiam ordinem & tempus in suis operibus, & utitur calore naturali ut instrumento: cum quo ex radice defert nutrimentum ad totam plantam. Aliorum uero miscibilium inchoatiuũ manifestatur ex alteratione & ex motu a prædominio elementi: nec seruant ordinem nisi per accidens: ut euenit in aliquibus aquis balneorum / & locis sulfureis, quæ sunt calidæ & idoneæ in uno tempore, & non in alio. Et ista opinio consonat fidei: de uegetatiua patet, quando Deus in genesi dixit: producat terra herbã & lignum faciens semen Et q inchoatiuum sensitiui sit in ista, etiam constat, quando post creationem stellarum dixit, Fiant iumenta / reptilia / & bestiæ terræ &c. Et quamuis sensitiua præferatur: quia forte est inextensa / & percipit non sensata mediis speciebus sensatis: pro quãto tamen efficiuntur potẽtiæ eiusdem animæ uegetatiua producit multa puta carnem & ossa / quæ prius non poterat. Et quidã Theologi putant q istæ duæ non producãtur a coelo: quia non uiuens ut est corpus coeli, non potest dare uitam animalibus etiam imperfectis. habitudo etiam cum prima causa est necessaria: & cum coelo accidentalis. Et licet non sit

par ratio de omnibus : nihil tamen accipit de nouo esse, nisi in uirtute primi: quia nec obstat illud Aristotelis, uide licet ꝙ generatio & corruptio causentur ex accessu: & recessu Solis in zodiaco: quia istud non excludit concursum aliarum causarum nec primæ. diuersitas uero quæ reperitur in rebus productis, causatur ex diuersitate causarum secundarum/ac etiam materiæ, quãdo esset multa uel pauca, uel ex indisproportione agentis particularis supra passum: uel ſm alios ex fortitudine/& debilitate informatiuæ: nisi Deus uellet aliter disponere, patet, quia in formis etiã imperfectis reperitur eius similitudo: quia si existunt prima uero maxime est.

Cap. iiii. de ulteriori notitia.

QVamuis cõparatio primæ ad omnes formas creatas uideatur æqualis, non tamen est, quoniam uiuere manifestius procedit ab eo qui est causa uitæ: aliter prima non influeret plus in effectum respectu aliarum, concesso etiam ꝙ ipsa sit infiniti uigoris: non tamen oportet ꝙ terminetur per aliquam secundarum: quoniam illa, quæ est causa rerum, est etiam causa ordinis: quia potest suspendere/ & supplere causalitates aliarum: quia agit uoluntarie. quædam uero procedunt ab ea immediate, ut quæ creantur: quædam cum medio, ut quæ generantur. Et non solum proportiones rerum comparatæ ad primum non sunt æquales, sed nec etiam inter se: puta illa qua sensitiuum distat a uegetatiuo, non æqualis illi, qua ambo distant a rationali: quia corporeum / & incorporeum distãt plusquam genere phisico, & si forte non dialetico. Esto tamen ꝙ in sensitiuo non sit inchoatio intellectiui, est tamen in eo quædam habilitas, ut possit se unire cum eo: cõcesso etiam ꝙ informatiua, quam ponunt medici in forma-

tione embrionis non moueatur immediate a Deo: ut seruetur ordo causarum: agit tamen in eius uirtute sicut cætera entia. Ponendo insuper duas informatiuas idem sequeretur: quia eadem est ratio de ambabus. Et si quidam negent illas, quia dicunt ꝙ sufficit uirtus gignitiua, quæ fuit derelicta in semine a patre. Nec est necesse ꝙ omne productum a Deo assimiletur ei: nam & materia prima fuit creata, & nullam fere habet cum Deo similitudinem.

Cap. V. de distinctione rerum.

ORdo uniuersi uidetur duo potissime exigere, unum ꝙ res sint ordinatæ respectu unius primi: & quæ magis participant de perfectione istius minus subiiciuntur casui & fortunæ: unde intelligentiæ propinquiores Deo perpetuantur: quia earum naturæ carent contrarietate, quæ est causa interitus. Secũdo exigit ordinem partium inter se: unde tribuentes materiæ multitudinem & unitatem, formæ non distinguunt uniuersum: quia licet ens primo diuidatur per unum & multa, & per alias passiones. istæ tñ non sunt principia/nec causæ rerum, nec existendi. Similiter dicentes ꝙ amor est principium omnium rerum, tum quia nihil mouetur nisi propter amorem, tum quia iste est causa ꝙ aliquis moueat & moueatur, agat & patiatur: nõ est sic. Idem enim est non bene dicere quod imperfecte declarare. nam si actio nõ reperitur nisi inter contraria: amor uero non contrariatur sibiipsi. quia tamen amor est causa finalis, quæ mouet efficientem: & istud inducit forma in materia, ideo uidetur esse causa aliarum. Et quando Anax. dixit intellectum mouere omnia, si intellexit de primo. est uerum quia si est purus actus, soli sibi competit, ꝙ sua operatio sit idem cum essentia.

Cap . vi . de solutionibus dubiorum .

QVando Veteres dicebant ꝙ formæ sunt sicut numeri, quibus addita/uel subtracta unitate uariatur species/ dictio, sicut non significat ꝙ numeri communicent cum rebus: sed intelligitur ꝙ aucto aliquo gradu perfectionis formæ, euariatur eius essentia. Et quando aiunt ꝙ euariatio potest causari ex diuersitate finiũ : aliter tamen accidit de fine ultimo: & aliter de intermediis. ab istis enim non mensurantur præcise operationes nostræ. Euariatio tamen causata ex determinatione agentis ad passum, est per se, & alia ex indispositione passi ad recipiendum est per accidens. Post primam igitur omnes aliæ formæ, quæ postea producuntur, continue deficiunt in aliquo gradu perfectionis usq; ad ultimas formas imperfectas: & propterea omnia alia a Deo dicuntur componi ex ente/ & priuatione determinati gradus entitatis. Nec est uerũ ꝙ reperiuntur principia mala: quia non habent proportionem ad alia: nec cognoscuntur nisi per distantiam a bono. Aliud igitur est assignare causam diuersitatis rerum, & aliud ordinis: iste refertur ad sapientiam Dei, diuersitas uero relata ad existentiam, refert̃ formaliter ad eius potentiam. Et ex productione spiritualiũ cognoscitur æternitas Dei: & ex productione hominis omnipotentia: quia coniungit naturam spiritualem cum corporali. Et licet communicet suam bonitatem, non tamen diffundit omnem eius perfectionem per unam tantum formam: & cum hoc omne productum semper exceditur ab eo in infinitum. Et quando dicitur ꝙ corporalia ualde distant ab eo, non intelligitur loco: quia est ubiq;, sed perfectione. Et inter omnes res productas est proportio productiui & cognoscitiui. Nam & in elementis est talis, ut ex eis possint produci mixta: & ex istis imperfectis perfecta & ista animari anima uegetabili, ex qua sensibilis, & tandem

infundi rationalis: & ex istius operatione homo potest eua dere sapiens / & felix: cuius ratione possunt etiam cognosci prædicta: quia eadẽ sunt principia essendi & cognoscendi.

Cap. vii. de particulari notitia.

Esto ꝙ calor naturalis sit causa uiuendi/& nutriendi, nõ tamen est principalis: quia ipse sicut & spiritus qui sũt instrumenta animæ, mouentur/& alterantur ab ea. Et licet ipsa sit mouens motum, saltem ab obiecto non tamen proprie alteratum: similiter cœlum est mouens motum, & nõ alteratũ saltem alteratione corruptiua: & quia solus Deus mouet cuncta, & non est motus nec alteratus: ideo omnes aliæ causæ citra ipsum sunt eius instrumẽta: unaquæq; tñ habet aliquid per quod agit in suo ordine: defectus autem naturæ & moris sunt priuationes. Nolle enim elicere actũ conformem rationi diuinæ uel humanæ, est quædam priuatio: quæ nõ cadit sub factiõe alicuius causæ: nõ dico ꝙ priuatio moris & naturæ sint æqualia: quia defectus illius habet aliquid positiui puta superabundantiã, quæ interdũ uocatur defectus, pro quanto nõ est de intentione principalis agẽtis secus de malo moris: quia non implere præceptũ est mere præceptiuum.

Cap. viii. quæ formæ habeant proprie gradus.

NE ex prædictis contingat aberrare, repetemus ꝙ ad formam substantialem nõ est per se motus: quia iste est successiuus: illa uero producitur subito. Et licet ignis contrarietur aquæ, & aer terræ, non tamen reperiuntur in substantia illæ sex conditiones requisitæ ad ueram contrarietatem: ut alibi ostensum est. Solum igitur formæ accidentales ꝯm esse earum in cõcreto habent gradus ꝯm quos possunt intendi & remitti: & isti gradus sunt modi essendi

ipsaꝝ

ipsarum : nec ex parte alterantis potest assignari causa acqui- sitionis alicuius gradus : quia acquisitio habet in fine & nō in principio : nec in medio, in quo fit alteratio. Dicitur aūt ꝙ illud est magis tale quod est propinquius illi formæ, a qua denominatur : & illud minus quod est remotius, uel ut alii putant, illud quod magis participat de perfectione uel puritate formæ est magis tale, & aliud minus uidelicet illud quod est remotum ab illa puritate : & cum ista opinione co incidit Aristoteles : inquit enim ꝙ imediata causa suscipiēdi magis & minus est permixtio contrarii cum contrario: quia illud est albius, quod est nigro impermixtius : prædicta ta- men non uerificātur de subiectis accidentium. Esto enim ꝙ ista possint fieri maiora & minora, non tamen intendi & remitti. Nam si illa forma esset intēsior, in qua reperitur ma ior quantitas molis : tunc una parua gemma non posset esse albior uno magno pariete : quare nec est uerum ꝙ formæ ex sola habilitate possint saluari in gradu intēso uel remisso: quia habilitas non procedit nisi ex subiecto. Similiter nec est uerū ꝙ ꝓueniat a gn̄ante : qđ sicut est cā formæ pariter ꝙ intēdat/& remittat Generās sane est causa multū remota. Et licet alterās nō sit causa imediata, est tamen propinquior generante. Nec formæ accidentales in abstracto suscipiūt magis & minus : quia esse istarum consistit in indiuisibili : ha- bitus autem morales suscipiunt illa duo propter clariorem & obscuriorem receptionem in anima. De illis uero quæ habent contrarium, & possunt mutari in gradu, est uera opi nio Aristotelis. In carentibus uero contrarietate accessus/& recessus a termino suæ naturæ potest esse talis causa. Nec inconuenit ꝙ unius effectus sint plures & diuersæ causæ in diuersis generibus causarum : uel in eodem si sunt subordina tæ. Causa igit materialis est dispositio subiecti : finalis est ac cedere ad formam/seu ad eius esse cōpletum : formalis est ut saluentur formæ in quocunq; gradu intenso/uel remisso.

D

Liber Secundus

Trac. primus de illis que valent ad notitiam principalis quesiti.

Cap. i. an anima possit se conuertere supra seipsam?

REpetemus q uegetatiua & sensitiua in eodē homine non sunt duæ formæ distinctæ. Nam si quælibet daret esse cōpletū, homo nō esset unū animal. Non tñ istæ duæ uires uniuntur cum anima intellectiua mediāte aliqua dispositione materiæ: quia nō est ex se susceptiua istius. Dedit autem natura animæ plures uires: qm̄ perfectio ultimi finis non potest acquiri ab ea sine multis operibus. Et licet uires imperfectiores reputētur dispositiones aliarum: illæ tamē sunt potiores quæ habent obiecta communiora, sicut uisus est potior auditu: quia color est cōmunior sono: & plures differentias rerum nobis ostendit. omnes tamen organicæ habent rationem passiui: quia recipiunt sensibilia: uolūtas uero & ratio potius actiui: quia possunt se determinare ad opposita. Et licet aliquæ operationes uideātur magis se tenere ex parte animæ, & aliquæ corporis: omnes tamen sm naturam procedunt a composito. Ad propositū igitur licet anima non operetur per se, nec corpus, sed homo: potētia tamen intellectiua potest se conuertere supra seipsam: tum quia inextensa, tum quia intellectus agens potest omnia facere, & possibilis omnia recipere. Cumq prima principia sint naturaliter omnibus nota: ideo possibilis informatus istis potest se distendere supra omnes alias uires, quæ sunt ei præsentes. Nam & Augustinus inquit q nihil est magis præsens animæ q̄ ipsamet: & istud competit ei sm naturā: qm̄ etiam lumen primæ causæ posset adeo penetrare intelle

ctum, ut cognoſcat ſeipſum . Et aliqui dicunt ꝙ intellectus habet tres operationes uidelicet diuinam/propriam/& intelligentiæ ſeparatæ, a qua defluũt ſpecies/ſeu formæ cœleſtes. Sed ſane tales formæ/ſeu ſimilitudines ſiquæ reperirentur, non poſſent deduci ad actum ab intellectu agẽte: quinimo uix ſunt aptæ mouere ſenſum. Et eſto ꝙ dicant intelligẽtias eſſe plenas formis: ſi tamen iſtæ eſſent neceſſariæ nõ poſſemus intelligere cum uolumus: nec intellectus moueretur a proprio obiecto, ꝙ ſm omnes fere eſt quiditas rei ſenſibilis. Et alibi dicunt ꝙ illæ ſpecies recipiũtur in ſomno ab imaginatiua: utcunqꝫ tamen proſpicere actũ ſuum pertinet ad intellectum ſpeculatiuum: quia nouit reſoluere intellecta in ſua principia, & cognoſcere quanta ſit eius uirtus & bonitas, & tandem ſuam formam quantum eſt cognoſcibilis per operationem: nõ tamen poteſt intelligere abſtracta, niſi prius intelligat ſenſibilia. Q đ tñ Deus poſſit infundere in intellectum aliquam notitiam de miſteriis diuinis anteq̃ intelligat inferiora: patet in prophetiis & aliis reuelatis & forte in raptu Pauli. Poſſet etiam ex ſe eleuari & mediante fide & caritate ſe uniri cum Deo. Nam ſi Peripatetici dicunt ꝙ homo per ſapientiã poteſt fieri ſimilis Deo: ſimilitudo uero eſt cauſa amoris: unde inferunt ꝙ Deus diligit & benefacit ſapienti: quare multo magis mediãte gratia ordine tamen naturali oportet ut prius ĩtelligat ſenſibilia. Cum deniqꝫ dicũt ꝙ homo unit ſe cum Deo: iſta unio non eſt ſicut illa diuinarum perſonarum cum eſſentia diuina: nec perſonæ cum natura, ut in angelo: nec ſicut naturæ humanæ cũ perſona diuina, ſed per electionem uoluntariã, cũ qua uiuit in carne extra carnem.

Cap . ii . an beatitudo animæ in patria diffundatur ſuper omnes eius uires .

AVguſtinus uidetur tenere ꝙ poſt mortẽ non ſolum remaneat ſenſitiua & uegetatiua / ſed etiam quinqꝫ ſen

ſus exteriores: qui nec tunc carebunt ſuis propriis obiectis: patet de uiſu per illud: Videbo bona dñi in terra uiuentiū: uidelicet in cœlo. Et de auditu inquit Dauid: Auditui meo dabis gaudium & letitiam. & alibi: Audiam quid loquatur in me dominus Deus, uidelicet in patria. Et de odoratu per illud: In odorem unguentorum tuoꝝ currimus &c. De tactu: Leua eius ſub capite meo, & dextra illius ample xabitur me. De guſtu etiam: Guſtate inquit & uidete qm̃ ſuauis eſt Dñs. Sed quãuis caritas exigat ꝙ omnes uires animæ ſint participes beatitudinis: iſtud tñ ſolũ poteſt ueri ficari: reaſſumpto corpore poterunt enim tunc obiecta ſen ſuum plene cognoſci. Nam licet ſint ualde intenſa in luce & perfectione: iſta tamen duo facient ſenſus habiliores. nõ enim oculus recipiet illic ſpecies per reflexionem a corpore opaco: quia ibi nulla eſt opacitas: ſimiliter de auditu. Nec obſtat ꝙ odor ſit fumalis euaporatio apta corrumpi: quia potẽtia ſenſitiua poteſt ĩmutari ſpiritualiter: ſimiliter & me dium: aliter odor non perciperetur ad loca ualde remota. Et licet reſoluatur aliqua humiditas a reodorabili, corpora tamen glorioſa poterunt recipere odores ſine illa: quia corpo ra cœli ratione actualitatis non ſunt reſolubilia, ſed forte ex eorum natura odorábilia. Nec incõuenit ꝙ animæ poſt re ſurrectionem ad formandas uoces habeant aerem innatum in pulmone, qui in cœlo nõ ſubiicitur corruptioni: & angeli habeant aliquid proportionabile aeri. nam & ſoni deferũtur illic ſine impedimẽto medii. Et ſi concederetur ꝙ ibi ſit ali qua cõfractio, nõ poteſt ex hoc inferri corruptio: qm̃ mo tus raritatis/& denſitatis in cœlo nõ ſunt ſimiles iſtis apud nos: nec ibi eſt neceſſaria inſpiratio/& reſpiratio. Q d' aũt corpora beatorum habeant tactum, patet quando Chriſtus dixit Magdalenæ: Noli me tangere: nondũ aſcẽdi ad patrẽ meum &c. Verum cum iſta ſint difficilia cognitu, ideo aliqui tenent ꝙ quinqꝫ ſenſus exteriores non exeant illic ex

se ad actum: sed sufficit ꝙ sola potentia animæ intellectiuæ sit beata: quia isti subiiciuntur omnes aliæ uires interiores & exteriores. Quando igitur illa est plene cõuersa ad essentiam diuinam, aliæ uires animæ & si uideãtur remanere suspensæ, non tamen in totum: quia beatitudo intellectus redundat in illis. Nam & quando in uia retrahitur ex aliqua forti cogitatione, etiam sensus exteriores retrahuntur.

Trac. ii. de imagine creaturarum.

Cap. i. quid significetur per nomen.

IMago importat similitudinem. Exẽplum sunt illæ principum, quæ imprimuntur in monetis. Apud Stoicos iure significat illud quod est expressum ad imitationem alterius: quod tamen aliquando est diuersæ naturæ: ut imago relicta in cera aliquando eiusdem, ut filius respectu patris: quæ potest uocari imitatio passiua: quia in ea forma est expressa ab efficiente, quod ipsa cogitur imitari. Videtur etiã significare relationẽ intrinsecam, ut cũ dicit isti sunt similes inter se: & aliquando extrinsecam, ut iste est similis illi: & tunc diffinitur per respectum quasi per magis notum, & est intrinsecus & communis: ut cum dicunt imaginem esse indistinctam similitudinem unius rei ad aliã rem coequandã: uel ꝙ est indifferens forma / seu species unius rei ad aliam adequandam. Particularius uero incipiendo a diuinis præsupposito ꝙ identitas essentialis sit cõmunis tribus personis: habitualis uero patri & filio: quia sunt unum principium producendi spiritum sanctum, qui licet sit ab alio sicut filius non tamen producit: quare prædicta diffinitio imaginis est restricta: quia sumpta penes imitationem & proprietatem repertam uerissime in solo filio Dei. & ista non reperitur in homine, nec in aliis: quia Deus non communicat

cum aliquo aliorum. Sed licet homo non possit uocari imago Dei: est tamen ad eius imaginem pro quanto potest eũ imitari: non tamen plene, quoniam Deus non intelligitur: nec amatur, ut est possibile intelligi/& amari. Beati autem in patria intelligunt/& contemplantur, & non proprie imitantur Deum: quia sunt in termino statuto per gratiam. Et dato quod in cæteris creaturis inueniatur unitas/ueritas/& bonitas, sicut in homine: nõ tamen sufficit, quia in illis inest solum potẽtia passiua, qua possunt cognosci: homines uero possunt cognoscere & cognosci: cum etiã unitas pertineat ad memoriam, quæ distincte conseruat species rerum, & ueritas ad intellectum, & bonitas ad uoluntatem: hæc autem non reperiuntur in aliis creaturis sicut in homine. Adhuc si in mente diuinæ sapientiæ continentur. omnia ideo per quandam similitudinem anima humana dicitur esse quodãmodo omnia: quia per intellectum est fere omnia intelligibilia: & per sensum omnia appetibilia. Quidam uero putant quod si imago sumeret̃ absolute pro imitatione angeli habent maiorẽ rationẽ imaginis/q̃ homines/uel animæ. Licet enim Aug. dicat illos esse pares animabus nostris: præferuntur tamen: tum quia capacitas cuiuslibet angeli superat capacitatem cuiuslibet animæ: tum quia species animarum multiplicant indiuidua, non autem angelorum: tum quia anima est perfectio corporis: non sic animæ, quæ denique intelligunt alia cũ discursu, angeli uero intuitiue. Et quãdo arguitur quod si imago est similitudo expressa, ideo magis unibilia expressius sunt similia: sed persona diuina est unita cũ natura humana, non autem cum angelica: non obstat, q̃m illa unio non fuit sine miraculo: ideo ad saluandum in homine imaginem sufficit quod sicut Deus gubernat totũ mundum, & est in toto mundo: similiter anima regit totum corpus, & est forma totius & cuiuslibet eius partis.

Cap . ii . de imaginibus inanimatorum .

IN aliquibus lapidibus, reperiuntur aliquæ similitudines signorum zodiaci puta Leonis/Libræ/uel trianguli, quæ & si reputentur impressæ a cœlo, sunt tamen figuræ accidentales, & nõ ueræ imagines . Quando etiam artifex inducit in materiam figuram illius rei, quam habet in mẽte : talis non est proprie imago : quia illa de qua loquimur, non acquiritur cum instrumentis materialibus . Similiter quando dicitur de aliquo ꝙ est ita pulcher ut reputetur diuinus, non est ratione imaginis : quia pulchritudo in hominibus consistit in debita proportione membroꝝ cum magnitudine corporis . parui enim & si possint habere mẽbra proportionata , non tamen esse pulchri : ad quod etiam requiritur color uiuidus, quæ non reperiuntur in anima , nec in angelis, sed in indiuiduis humanis . Si deniq; homo nõ gereret similitudinem Dei, non gauderet de eius contemplatione : & cum similitudo sit causa amoris : etiam sancti fruuntur eorum imaginibus .

Cap . iii . de causa idæarum .

PLato auctor istarum credidit cum eis saluare generationem : quia si agens naturale solum disponit materiam, oportet assignare ufe inducens formam . Saluabat ẽt scientiam : quia ipsa est de rebus quæ non possunt aliter se habere . Particularia uero sẽsibilia a quibus oritur nostra cognitio , continue uariantur : unde si non reperiretur una natura ĩmunis ab omni uarietate materiæ, scientia non esset de necessariis / nec perpetuæ ueritatis . Et quidam addunt ꝙ ipse posuit formas prædicabiles esse medias inter naturales & separatas : sed non puto ꝙ ignorauerit ꝙ inter maxime entia/& alias naturas nõ locens fabricata per intellectũ.

Eſt bene uerum ꝙ idææ non ſunt neceſſariæ : quoniam ſi ſunt ſimilitudines exemplares in mente Dei, cum quibus producũtur res ad extra : tũc fuiſſent imperfectiores rebus productis : quia finis eſt perfectior illis, quæ ſunt ad finem. Nec ſunt oportunæ : quoniam res prius origine fuerũt præ cognitæ a Deo / q̃ productæ : ideo non conferebant ad di‑ ſtinguendum illa quæ iam erant per præcognitionem di‑ ſtincta . non enim producit confuſe / nec confuſa : quare ſi erant neceſſariæ , eius productio nõ differret ab illa alterius artificis . Adhuc ſi filius Dei producitur : quia intellectus quãto magis ꝓductionibus extrinſecis ſufficit ꝙ res fuerint ꝓcognitæ . Nec forte creatio eſſet ex nihilo , ſi præſuppone rẽtur idææ . Nec differret a generatione, in qua res ſunt in potentia anteq̃ producantur . Nec res acquirerent per crea‑ tionem niſi nouum reſpectum : & ſic alteratio eſſet aliquo modo perfectior : quia per iſtam acquiritur aliquod abſolu tum . Nec poteſt dici ꝙ noua relatio fundetur in antiqua : quia tunc relatio in actu & in potentia haberet eoſdem ter minos : Vnde recte inquit Aug. ꝙ Deus non nouit aliter facta q̃ fienda : quando tamen dicit ꝙ alia ratione factus eſt homo , & alia conditus equus : tunc ratio non refertur ad idæas , ſed ad intellectum diuinum cognoſcentem / & diſtinguentem . Similiter illud Io. primo : Quod factũ eſt in ipſo uita erat : uult oſtendere ꝙ eius uiuere non differt ab operari : quod potius arguit ꝙ eſſentia diuina eſt ſufficiẽs repræſentatiuum omnium producẽdorum . Eſſet enim ab‑ ſurdum ꝙ Deus fieret ſapientior ex idæis . Nec obſtat ꝙ homo ſit ad ſimilitudinem Dei : quia talis non eſt formæ , ſed attributorum . Et licet ens diuidatur per potentiam / & actum , per eſſe in anima / uel extra eam , & per eſſe eſſen‑ tiæ & exiſtentiæ : ordo tamen rerum non eſt niſi reſpectu unius : & propterea diuiſio entis per unũ & multa eſt prior aliis . Deus igitur poſt productionem intrinſecam in ſecũdo

instanti naturæ producit res creandas in esse intelligibili : & tunc erant possibiles produci : & in illo met instanti non repugnat rebus esse absq; alia similitudine significata per idæam : quia si sic, argueretur imperfectio intellectus diuini ac etiã essentiæ, ut dictum est. Nec etiam ideæ Platonis conferunt ad scientiam : quia licet ipsa non sit de particularibus inquantum talia : potest tamen de eis esse scientia, quando sumunt̃ sub quadã uniuersitate : & id siue uniuersale sumatur pro natura, siue pro intentione materialiter : tamen est illa natura comprensa sub tali intentione : & tunc est solum uniuersale in potentia, & determinatum ab intellectu est eius formale. Semper deniq; propositio necessaria est perpetuæ ueritatis absq; aliqua idæa, ratione habitudinis necessariæ prædicati ad subiectum.

Tractatus . iii . an substantie separate sint in loco.

Cap. i. an moueantur per spacium loci.

Fertur q; intelligentia habet pro loco totũ orbem, quẽ mouet. non autem aliqua illarum continetur, nec mensuratur a loco, sed potius continet ipsum, & non separatur ab eo. Angelus uero potest mutare locum, & esse de nouo in aliquo : in quo prius non fuerat : non tamen potest esse in pluribus locis simul : quia est limitatæ naturæ. Nec potest mutare locum per motum factum in spacio : quia non est magnitudo quanta, cui soli competit distendi : nec potest mensurari ſm prius & posterius sicut cætera entia quæ cadunt sub continuo & tempore. Illud igit̃ uulgatum uidelicet q; impartibile non mouetur, intelligit̃ de impartibili quanto, & de motu proprio dicto : Angelus

uero in principio poteſt eſſe in toto loco, uel in illa parte, in qua applicat de nouo ſuam uirtutem, quando non extenderet eam ad totum: Et non ſolum unus non poteſt eſſe in pluribus locis ſimul. Sed multominus plures in uno particulari: ſicut nec unius perfectibilis reperiuntur duæ cauſæ tales equaliter perficientes. Platonici igitur aduertant ꝙ nec plures legiones animarum poſſunt produci in eodem loco ſaltem proprio, ut ipſi dicebāt de animabus noſtris. Numerus uero legionis dicitur aſcendere ad ſex milia ſexcenta & ſexagintaſex.

Cap. ii. de ſolutionibus dubiorum.

QVando arguitur ꝙ ſpiritualia non poſſunt eſſe in loco, tū quia iſte definitur ꝙ eſt ultima ſuperficies corporis ambientis locatum. Superficies uero eſt quantitas qua illa carent: tum quia locus debet eſſe ſubtilior corpore locato, puta aqua ſubtilior terra: & aer aqua: & ignis aere: nihil uero reperitur ſubtilius reſpectu ſubſtantiæ ſpiritualis. Sed non obſtant, quia ſeparata nō ſunt in loco dimenſiue: ſed ut aiūt diffinitiue/ſeu potius determinatiue uidelicet quod nunc eſt hic & non alibi. Solus enim Deus eſt, & operatur ubiq;: & ei ſoli ratione ſuæ immenſitatis competit non diſtare a quocunq; loco: quia omnibus eſt continue præſens. Angeli uero & animæ depēdent aliquomodo a loco quantum ad operari, licet non quantum ad eſſe: quare locus amborum eſt tantus quanta eſt extenſio ſuæ potentiæ: nec poteſt transgredi ab angelo/nec ab anima: quia amborum uirtus eſt terminata. Non dico ꝙ omnes potentiæ angelorum ſint æquales: quia etiam inter corpora cœli reperitur aliquod corpus continēs quod non cōtinetur ab alio, puta ultimum cœlum ſecus de animabus noſtris, quæ ſunt æquales in forma.

Cap. iii. de loco communi omnium substantiarum.

LOcus communis est ille, in quem omnis substantia creata tendit, & ad quem mouetur, & in quo omnia entia mundi debent saluari & contineri. Et extenditur ad totum ambitum uirtutis Dei: quare ualde differt a proprio quia iste non extenditur ultra terminum propriæ uirtutis. Et cum dicitur ꝙ angelus mittitur extra non intelligitur ꝙ moueatur extra terminum uirtutis Dei: sed extra terminum illius loci, in quo prius operabatur. Similiter cum aiunt ꝙ locus animæ coniũctæ est corpus, qđ informat illud est diũ permanet in eo. Et cum obiicitur ꝙ sicut idem locus non potest esse immediate diuersorum: Similiter nec Deum esse locum omnium substantiarum: non est sic quoniam Deus non potest appropriari alicui loco: quia est infiniti uigoris. Et q̄uis locus inferior debeat habere tot differentias, quot sunt diuersitates contentorum in eo. differentia tamen spiritualium non sumitur ex parte loci continentis, sed ex parte illorum quæ continentur, quæ distinguuntur seipsis. Est igitur Deus locus cõmunis pro quanto est talis terminus, qui a nullo alio termino potest concludi: unde est necesse plures, quin potius omnes substantias separatas esse in eodem loco communi secus de proprio. Et si arguas ꝙ duo lumina sunt in eodem medio, non refert: quia ista non sunt substantiæ: nec hoc aliquid sicut spiritualia separata. Et quando addunt ꝙ demon/& anima sunt in eodẽ corpore, non est uerum, quia anima est forma, & mouet corpus naturaliter. Demon uero non informat / & mouet illud uiolenter. Et sicut locus particularis animæ est ubi agit, illud idem erit ubi patitur. Si enim potentia actiua ẜm quam operatur, est eius locus, in quo lætatur/uel gaudet: similiter passiua ubi contristatur / & dolet. Licet igitur anima humana post mortem mutet locum particularem:

non tamen communem : quia non potest excedere capaci-
tatem istius : nec si angelus infinities mutaret locum parti-
cularem, excederet terminum loci communis Dei.

Cap. iiii. an angelus uel anima moueantur in tẽpore.

CVm autem motus istorum sit subitus, ideo concedentes ꝙ moueantur per tempus : uel istud non est uerũ uel tẽpus non sumitur, prout est mensura motus ſm prius & posterius, sed large : prout est mensura cuiuscunq; mutationis. Si arguas in hoc instanti applicauit uirtutem suam huic loco, & in alio instanti alii loco, & inter duo instãtia cadit tempus medium : etiam non refert quia istud potest solum uerificari de motu corporum, in quo unitas temporis refertur ad unitatem motus, & continuitas ad latitudinem spacii. Quamuis enim inter duo puncta sit media linea, & inter duo mutata esse motus, & inter duo instãtia tẽpus. Motus tamen separatorum est potius similis mutationi formarum : inter quas non intercidit tempus. Nec est dare tempus medium, in quo subiectum non sit rationale / uel irrationale. Sicut igitur animæ non mouentur per spacium nec mensurantur ab eo nec a tempore : ideo differunt moueri per spacium, & pertransire spacium subito : & istud ultimum non repugnat substãtiis separatis. Si enim nulla est proportio spiritus ad corpus, nulla erit proportio eius, qđ est subito moueri ad moueri in tempore. ſm eandem igitur differentiam temporis pertransit maiorem & minorem locũ nec deniq; potest inferri non operatur nunc in spacio : ergo non fuit nec erat in ipso, quia si est in loco ubi operatur / uel diffinitur : quare erit etiam aliquo modo in illo ad quem mouetur, pro quanto substantia spiritualis pro tunc potest statim extendere suam uirtutem ad tale spacium.

Liber Tertius.

Tractatus primus de immortalitate animae.

Cap. I. de diuersis opinionibus Antiquorum.

HActenus de eius origine, & de illis, quae exiguntur ad praecognitionem: nunc uero acturi de eius perpetuitate, quod praecipue intendebamus: referemus primo quid senserint ueteres. Empedocles asserebat animam constare ex quattuor elementis: aliter non posset cognoscere omnia composita ex eis. Cum enim cognitio sit quaedã similitudo / seu assimilatio rei ad intellectum: ideo inquit: Terra nanq; terra, sane ignis dignoscitur igne. Et ad saluandam contrarietatem principiorum subdit: Et amare amor & tristis discordia lite. Putabat etiam ꝙ influxus astrorum immutaretur per ista duo principia contraria. Nam regnante amicitia ex conuentu mutuo planetarum confunduntur influxus: regnante uero lite, unusquisq; res manet in suo loco, & res tunc suo ordine gubernantur. Ipparchus uero dixit animam constare ex igne propter uelocitatem discursus similem intellectui. Et Anaximenes ex aere: quia isto deficiente in pulmone deficit uita. Idem sensit Diogenes. Ippasus autem ꝙ ex aqua: quia considerauit humiditatẽ in semine, sine quo non cõpletur generatio. Et multi eadem asserebant de anima, quae de principiis aliarum rerum. Nam quidam ponebant illa immateria-

lia: & quidã non: & aliqui unum: aliqui duo: alii plura: Et nonnulli diffiniebant animam per motum: quoniam animata sunt ualde motiua. Alii aduertentes ꝙ animata, & inanimata differunt motu/& comprensione, diffiniebãt illam per ista duo. Et de Epicuro fertur, ꝙ licet crediderit spiritum & aerem differre: putauit tamen animam interire simul cum corpore. Sed Ferecides natione Syrus, qui fuit diu ante ipsum, dicitur, ꝙ prædixit illam immortalem: sicut etiam pronosticauit futurum terremotum: quem perspexit ex permutatione aquarum aliquorum fontium. Lucretius tamen postea multis persuasionibus conatus est extollere Epicurum. Critias autem diffiniebat animam per sanguinem: quia quando effunditur multum de eo, desinit uita. Et Pythagoras dixit illam esse armoniam propter proportionem potentiarum/& organorum adinuicem. Et Eraclitus esse lucem: quia congaudet intuitu lucis, & tristatur in tenebris. Et aliqui ꝙ est natura corporis cœli: ut Critolaus. Alii ꝙ est una & eadem substantia cum spiritibus: unde diffiniebant illam esse spiritum concretum corpori, ut Zenon. Similiter Hippocrates spiritum per corpus omne dispersum. Democritus tamen considerans ꝙ intellectus humanus est capax omnium fere rerum, dixit animam constare ex atomis rotundis: quoniam sunt figuræ omnium capacissimæ, & ad motũ ualde idoneæ. Asserentes uero illam esse de natura ignis/& aeris mouebantur: quia ambo sunt causa uitæ, uidelicet per motum caloris & spiratione aeris: uolebant tamen istum esse potiorem causam animationis: quia Orpheus dicebat ꝙ aer est plenus diis/& animabus, quæ ingrediuntur nostra corpora per anhelitum: signum est: quia etiam anima Zephyri, qui est quidam uentus dulcior cæteris, eo ꝙ nubem tollat, & auram facit serenam/& amenam. Et quamuis propter similitudinem animæ/& spiritus in operando quidam sume

bat unum pro alio: Hippocrates tamen concedebat istud de spiritu gignitiuo, credens ꝙ in formatione membroꝝ/& productione embrionis sit principale agens. Et quidam posteriores dicebant animã esse complexionem resultantẽ ex actione qualitatum primaꝝ: tum quia destructa cõplexione, destruitur ipsa: tum quia anima delectatur saporibus & odoribus, qui ex complexione resultant. Et quidam illã esse temperiem elementoꝝ, ut Alexander. Et alii esse imaginationem/uel fantasiã: quoniam destructo organo istoꝝ impeditur operatio intellectus. Et Aristophanes, ꝙ est totus homo. Et alii ꝙ intellectus humanus non informat corpus. Et quidam, ꝙ in homine sunt duæ animæ una inclinat ad bonum, alia ad malum: & quæ agit bona, nõ potest agere mala: nec econuerso primam dicebant esse de substantia Dei, secundam demonis. Cum tamen dicunt animam non differre a Deo, illud intelligunt per quandam similitudinẽ: quia de intellectu agente dicitur, qđ est omnia facere. Et nonnulli putarunt ꝙ animæ nostræ uagentur per corpora aliorum animalium: quia quando aliquis moritur morte uiolenta, dicunt eius animam in alio corpore recludi, quando in instanti in quo separatur, non inuenit aliud corpus dispositum: & qui suscipiunt eam, uocantur demoniati, quia uidentur loqui uerba quæ nunq̃ audierunt: quod Peripatetici negant: quia quælibet forma ſm naturam est in materia terminata. nec ſm eum mors est aliud q̃ corruptio formæ: nec duæ possunt perficere eandem. Et deniq; alii, ꝙ anima est intelligẽtia. Et alii ꝙ una est de alia: &c.

Cap. ii. de opinione Platonicorum, & improbatione.

ISti conabanť persuadere Platonem plene ostẽdisse imortalitatem animæ: quia si diffiniunt illam esse numerum,

seipsum mouentem. Quicquid uero ex se/& per se moue-tur, semper mouetur: quia in eo non potest assignari causa quietis, sed qđ semp mouet, est imortale. Si etiã est primũ principium. motus ideo non dependet ab aliis in mouen-do. Istud tamen ultimum est falsum : quia est certum omnia dependere a principio in mouendo. Et licet anima nostra moueatur immediate ab obiecto : istud non exclu-dit dependentiam eius cum primo motore. nec si motus esset passio animæ, posset de ea probari sempiternitas : nisi quousq; permaneret in corpus: sicut nec de ista propositio ne : homo est risibilis: potest dici ꝙ sit uera respectu alicu-ius indiuidui : quando eius anima est separata a corpore : quia tunc non uerificatur de sola anima: nec de solo corpo re. Cum igitur non sit perpetue ueritatis ratione partium: ideo non potest uerificari ante ingressum corporis, ut Plato opinabatur: nec post: quia eadem est ratio. nec, ut ait, se-quitur/mouetur a se: ergo est æterna: patet de multis ani-malibus. Et multominus ꝙ animæ elementorum sint per petuæ: quoniam elementa cotinue fluunt/& refluunt, ge-nerantur/& corrumpuntur: & tota aqua potest conuerti in totum aerem : & econtra. Et quando dicunt ꝙ magnes trahit ferrum ratione animæ, quæ est in ea: ista sane pro-prietas inest magneti, inquantum mixtum / & non ut sim-plex elemẽtum. nec ex sensu, nec ex motu potest probari ꝙ sit incapax mortis : quia in locali & aliis mobile pro ut est in actu mouet, & prout est in potentia mouetur. Cum igitur sit in potentia: quia aliter non posset aliquando mo-uere. aliquando non ideo potest deficere: quare si est indi-uisibilis: deficiendo in parte, deficeret in totum. adhuc si in motu proprie dicto exigitur mouens res mota, & illud mediante, quo fit motus / seu principium quo. Istud uero in proposito est anima: quæ cum sit forma absoluta, non potest per se mouere : quia actio competit indiuiduo,

in actu: conceditur tamen q possit per se subsistere ab illis qui tenent q separata sit hoc aliquid. Adhuc si principium rei motæ/& res mota differunt, si anima est tale, differret a seipsa: nec esset indiuisibilis, ut præsupponunt. mirum etiã est, q non ostendant causam quietis: cum tamen permanens ualde differat a successiuo. illud habet omnes partes simul in eodem instanti: non autem successiuum. Adhuc uel ipsa moueretur motu recto/uel circulari non recto: quia nullum spacium est infinitum. unde si semper mouet, oportet concedere q motus infinitus fiat super spacio terminato, nec circulari: quia iste habet centrũ immobile: unde anima haberet intra se partem immobilem similem centro spheræ. Si .n. cẽtrũ esset extra spherã, motus eius nõ esset circularis: uel moueretur extra coelum. nec anima posset moueri motu alterationis: quia si posset alterari, posset corrumpi similiter: nec augmentationis: quia fieret maior in maiori corpore: nec diminutionis, quia fieret minor in minori: nec motu uiolento, quia non posset perpetuari. Idem posset inferri, si concedatur q possit quiescere: quia uel quies procederet ab anima/uel ab alio: & utroq modo non poterit semper moueri: uel non erit completa causa motus. Et cum dicitur q corpus mouetur, ut recipiens motum ab anima nõ refert: quia iste modus arguẽdi fallit in causis formalibus: tenet tamen in efficientibus: & si non in omnibus: unde si anima est causa q homo moueatur: non potest inferri: ergo ipsa per se mouetur: quia differunt esse principium/quo/& quod.

Trac. ii. de præsupponendis in isto processu.

Cap. i. de illis ex quibus est sumenda notitia.

QVamuis simplicitas animæ humanæ soleat interdum inuestigari cũ diuersis principiis scientiarum, communiter tamen agentes, de ea potius ostendunt quomodo ipsa differt ab aliis compositis, & ꝙ non communicat cum eis in materia, nec in natura: ex quo concluditur ꝙ est simplex: non enim potest cognosci sicut materia ex transmutatione: nec sicut motus ex mobili & ex terminis: a quo, & ad quem: sed solũ sicut forma ex operatione. Nec iste processus conferret: si, ut Platonici dicunt, anima nostra esset reclusa in corpore: quia istud repugnat formæ danti esse: nisi forte per esse reclusam intelligeret, qđ non cõmunicat cum eo. Procedemus igitur primo ex distinctione ipsius ab aliis formis, & non ex quolibet effectu: quia licet oculus possit esse principium uidendi, & cerebrum sentiendi: & cum hoc nec alter/nec ambo moueant nisi in uirtute animæ: istud inq̃ non sufficit, quia ipsa etiam mouetur ab obiecto: qđ quando habet rationem proficui, prosequit: & quando nociui refugit ab eo: & non solum mouetur ab extrinseco, sed etiam a specie sensata: aliter non possemus intelligere cum uolumus: ut constat quando intellectus agẽs facit de specie intelligibili, ut actu possit intelligi: nõ tamen potest intelligere seipsam, nisi prius ĩtellexerit alia. nam quãto uirtus formæ transcendit materiam, tanto est nobilior & spiritualior. Et propterea intellectiua ueluti abstractior cæteris habet operationem non communicantem cum materia corporali: quare forte quãdo Plato dixit animam moueri a se: uoluit dicere ꝙ sola reflectitur super se: uel ꝙ intelligit suum intelligere: & sic bene dixisset.

Cap. ii. de solutionibus dubiorum.

ANteq̃ referamus rationes ꝓbantes intentũ, maluimus soluere rõnes, q̃ nõ cõcludũt: supponẽdo ꝙ ĩtellectiua

non recipit qualitates, quæ non reperiuntur nisi in materia quanta: quoniam si ista non esset procul ab anima, non intelligeret partem & totum / maiora & minora per easdem species abstractas, per quas etiam posset intelligere infinita. Ex primo istorum patet quod ipsa nõ potest constare ex uno elemento, nec ex multis: quoniam si quodlibet est corpus materiale, tunc ipsa non posset intelligere abstracta ab eo. Nec si subiiceretur potentialitati materiæ, posset esse forma partis. Nec cõstat ex odio & amore, tum quia ista sunt passiones sensuum: tum quia non posset intelligere alia: nec ipsa elementa: quia non cadũt sub sensibus. nec, ut putauit Emp. cognitio fit per similia: quia anima non recipit res similes, sed intentiones rerum. Nec constat solo igne, ut dicebat Hipparchus: quia iste non potest esse causa nutriendi / nec augendi. Nec ex sola terra: quia frigiditas / & siccitas istius prohibent motum / & operationẽ animaliũ. Nec ex terra & igne, ut dicebat Parmenides: quoniam si sunt elementa contraria continue in essentia animæ: inesset actio destructiua sui ipsius & organorum. Nec obstat quod in corruptione partes leuiores ascendunt, & grauiores descendunt: quia istud est per naturam corporis & non animæ. Nec constat ex aere, ut dicebat Anaximenes / & Orpheus, quia si sic, cõtinue posset uariari non solum inspirando / & respirando: sed esset in continua alteratione: sicut aer est in continuo motu, etiã ille qui est in pulmone. Nec constat ex aqua: quia humiditas istius est manifesta causa putredinis. Et denique si esset ex aliquo elemento: inesset magis in loco ubi tale elementum prædominaret: & si ex terra magis in ossibus & unguibus: si ex igne spiritus calidiores cæteris quæ sunt in corpore nostro, nõ possent moueri deorsũ: & tñ animales in capite sũt princcipiũ motus pgressiui, ad quẽ cõcurrũt pedes & tibiæ. Vnde nec: ut inquit Zenon / & Hyppocrates: aĩa est spiritus: quia isti sunt potius instrumenta, quibus deferuntur uires

animæ per corpus, ut in secũda parte philosophiæ naturalis libro quinto tractatu primo ostensũ est. Nec ut dicebat Critias, est sanguis, tũ quia iste est corpus: aĩa uero non, tum quia ista est causa motus/& sensus, non autem sanguis. Nec est complexio resultans ex actione qualitatum, ut inquit Gale. eo ꝙ destructa complexione destruitur uita: tum quia destructor uitæ non est illud, quod est causa uiuendi, tum quia complexio potest permutari manente uita: non autem anima, quæ etiam est forma substantialis/& complexio accidens. Anima deniqꝫ retrahit ab illis ad quæ inclinat complexio. Vnde nec est proportio naturalis illuminata ab intellectu agẽte: ut inquit Alexander peripateticus: quia tunc posset augeri/& minui proportio: sane est potius quædam præparatio disponens ad formam, & est relatio/& anima substantia illa alteratur: a cõtrariis anima intelligẽdo ista perficitur: nec habet in se aliquam naturam illorum quæ intelligit: quia prohiberet intellectionem. Nec est imaginatio uel cogitatiua: ut uidetur sensisse Auer. quia omnes potentiæ sensibiles negociantur circa sua propria sensibilia. Nec est fantasia, quia ista etiam est motus factus a sensu ſm actũ. Intellectus uero est circa uniuersalia & abstracta. Nec obstat ꝙ læso uel cõsumpto organo fantasiæ destruaᵗ operatio intellectus: quia licet nõ cõmunicet cum corpore, cõmunicat tamen cũ aliquo communicante cum illo, puta cum fantasia/& organis, ex quibus ad eam deferuntur species. Et esto ꝙ credatur pati quando recipit istas, potius tñ perficitur. Est bene uerum ꝙ subordinatio potentiarꝫ exigit ut intellectus in uita ista intelligendo cõuertat se ad species/& ad fantasmata. Nec anima constat ex atomis, quæ sunt corpuscula parua: ut sensit Democritus: quia si componeretur ex eis, posset diuidi in illa, quæ etiam cum continue fluant/& refluant: similiter anima flueret/& reflueret. Adhuc si congregatio atomorum est causa generationis &

segregatio corruptionis cum infinities congregentur,& segre gentur infinities,anima generaretur / & corrumperetur. Et cum dicit ꝙ atomi propter subtilitatem possunt penetrare: quia illud quod tangit ſm punctum maxime penetrat / & mouetur: ideo anima mouet & mouetur. non est uerum: sed impossibile falsum,uidelicet ꝙ idem indiuisibile naturale possit esse causa passiua & actiua motus. Nec refert ꝙ habeant figuram rotūdam: quia ista est in quarta specie qualitatis pro quanto sequitur formā: uel si est in genere quātitatis: est tamen diuisibilis quod non competit atomo/nec animæ. Nec,ut inquit Pithagoras,anima est armonia:dato enim ꝙ cum ista componantur uoces,& in mixtis refrangantur elementa contraria: & sanitas uocetur aliquando armonia: quia est æquatio calidorum/frigidorum/humidoꝝ & siccorum. non tamen anima constat ex proportionibus: quia nec ex aliquo causato ex quantitate / uel qualitate. Et quoniam eleuatur super ista,ideo distinguit,quando armonia cōsonat/uel dissonat. Nec est homo ut putauit Aristophanes: quia sequeretur ꝙ in corpore hominis esset homo & quereretur de eius anima,& iretur in infinitum: nec formæ essent simplices,sed compositum informaret materiam. Quidam tamen Platonici uocabant animam totum hominem: quia nolebant tribuere aliquem actum corpori: cum tamen in ueritate in mundo nec sola anima, nec solū corpus agit,nec patitur,sed homo,qui constat ex eis. Nec anima est de natura corporis cœlestis,ut dixit Architolaus, non quantum ad essentiam: quia illa corpora cedunt loco materiæ, & intelligentia loco formæ. nec quantum ad operationem: quia illa sunt determinata ad unum motum: anima uero ad plures: nisi enim motus intelligentiarum esset continuus, & unus non imitaretur sempiternitatem primæ causæ, quod animalia faciunt cum successiua generatione. Qđ uero non sit unicus intellectus mouens omnia: ut di

xit Anaxagoras, patet: quoniam experimur ꝙ homo cum solo intellectu agente sine possibili nequit intelligere. Cum etiam intellectus ſm eum non sit nisi lux quaedam separata non posset assignari quomodo cum ea compleatur potius una cognitio q̃ alia. Nec est lux: ut dixit Eraclitus: sed est substantia, quae etiam potest per se subsistere: una etiam anima determinatur ad unũ corpus: lux uero ad diuersa. illa potest recipere scientiã / & ignorantiã: non autem lux. Superficies etiam suscipit calores contrarios in uirtute substãtiae cui haeret. Nec anima est de natura diuina: quia sequeretur ꝙ non posset decipi / nec compelli, nec in deterius mutari. Nec duae animae sunt in uno corpore: quia duae formae specificae nõ possunt perficere eandem materiam: sicut nec duo mouentes adequati eiusdẽ generis mouere idem mobile: nec simul aeq; applicari ad illud. Nec una anima est ex alia, nec ex parte alterius: quia tunc indiuisibile posset pati diuisionẽ & statim desinere. Et deniq; si una anima per suum motũ ingrederet corpus alterius: forma per tẽpus maneret ociosa:

Cap. iii. de rationibus sũptis ex propriis animae.

CVm homo possit per animã intelligere absq; organo corporeo: ideo erit inextensa. Ista ratio sumitur ex differentia actus intelligendi ab actu sentiendi: quoniã nullus sensus potest cognoscere nisi determinatũ: intellectus uero cognoscit istud & propriam naturam ipsius: nec recipit species rerum ut extensas: quia in anima non sunt quantae, sed spirituales adeo ꝙ cum una perspicit infinita pene indiuidua. Si igitur comprehendit quiditates & naturas omnium corporum, oportet ꝙ sit immunis ab illis: & ulterius si operat extra materiam, ꝙ sit immaterialis. Si enim haberet in se aliquod corporale, impediretur cognitio: ut si pupilla uel uisus esset coloratus: non posset uidere colorem exteriorem:

ſed omnia uiderentur ab eo ſub colore exiſtente in pupilla: uel in oculo. Et Auer. Si, inquit, intellectus eſſet uirtus organica, ſequeretur ꝙ eſſet aliqualiter qualis: quia ſicut potẽtia uocatur organica, pariter quæ eſt in organo calido / uel frigido uocatur organica calida/uel frigida. Intelligit etiam homo per animam, & diſtinguit relationes reales/ac etiam relationes generis & ſpeciei/& ſecũdas intẽtiones dialecticas/ & prima principia ſimplicia & complexa/& rationes iſtorũ per quas ex notis inueſtigantur ignota/& actum per quem cognoſcuntur incorporea/& dimenſiones cõtinuoꝝ/& ſpecies numerorum augendo, & proportiones figurarum, quæ non poſſunt competere niſi naturæ ſpirituali abſolute ab omni materia. Cognoſcit deniq; intellectus uniuerſale ſub ratione qua prædicatur: & uoluntas poteſt ſe determinare ad oppoſita, uidelicet ad agere & non agere/& agere iſtud & oppoſitum: unde ſi eſſet extenſa, non poſſet nõ appetere illud, in quod inclinatur. Si igitur intelligere quod ſuperat facultatem omnium ſenſuum, eſt operatio determinatæ formæ, ſi homo locatur in ſpecie per illud, quod eſt principium operandi, & in omni ſpecie reperitur differentia conſtitutiua qua genus reducit ad actum, & ſub ſpecie multiplicantur indiuidua: ideo animæ rationales ſunt multæ: & unaquæq; eſt forma hominis. nec eſt unus intellectus in omnibus: quia tunc una intellectio eſſet pluriũ: nec unus intelligeret ſine alio. Cum tamen proprius actus fiat in propria materia: quare ſi eſt actus corporis, cũ iſta ſint diuerſa; diuerſæ erunt animæ non ſpecie / ſed numero. Quodlibet tamen indiuiduum ultra operationem ſequentẽ naturã ſpeciei habet aliquas diſpoſitiones inſequentes complexionem uel conſuetudinem. Nam & melancolici appetunt magis aſſata q̃ elixa. Si igitur anima poteſt per ſe operari: quia & per ſe ſubſiſtere, & ulterius a corpore ſeparari: non dico ꝙ anima ſubſiſtat per ſe in corpore: quia eſt forma: ſed ꝙ

sit apta subsistere extra : quia est hoc aliquid .

Cap. iiii. de rationibus naturalibus.

PHilosophi obseruant quattuor fundamenta : Primum q omnis uirtus animata tam in essendo q̄ in operando tractu temporis debilitatur/& senescit/donec deficiat: sed intellectiua quanto magis permanet/& operatur, magis perficitur . Adhuc omnis uirtus composita patitur a uehemẽti obiecto : ut uisus a uehemẽti lucido : & auditus a uehemẽti sono. Intellectus uero uigoratur postq̄ intellexit uehemens intelligibile. Secundum : si obiectum intellectus nostri est æternum/& necesse esse: quare habitudo inter terminos perpetuos non poterat esse nisi perpetua. Sed ista ratio peccat: tum quia petit principium : non enim probat terminos esse perpetuos : tum quia inter scibile & scientiam ex parte unius extremi est relatio realis, & ex alio solum rationis. Ideo tertium sumitur, quia ex intellectu in actu cum intelligibili in actu fit magis & intimius . unum q̄ ex materia & forma . Istud esse non posset, nisi operatio animæ a qua procedit, transcenderet omne materiale . Signum est quia qui magis eleuantur in spiritu melius comprendunt coelestia/& occulta . & econtra in omnimoda immersione corporalium : puta in carnali cõmixtione deficiũt uires animæ. Si igitur prius dicta accidunt in uita : multo magis in morte : in qua cõplete corpus separatur ab anima : quæ etiã si dependeret ab eo, quanto magis nutriretur, melius intelligeret : cuius oppositum experimur . Quartum : omne corruptibile corrumpitur quando eius forma separatur : sed nullum simplex, ut est anima, potest separari a seipsa : caret.n. contrarietate. Nam rationes contrariorum non sunt in intellectu contrariæ : aliter anima non posset seipsam intelligere, nec esse sibiipsi præsens. Et sicut non potest destrui destru

ctione partium, quia est simplex: similiter nec destructione subiecti: quia separatur ab isto. Nec potest deficere in absentia causae coniunctae: quia quod habet esse per se, oportet q corrumpatur per se: quod ei conuenit inseparabiliter & semper. Siue igitur sola forma sit de ratione speciei: & materia de ratione indiuidui: nõ tamen diffinitur hic homo: qui est in actu per animam: sed prout est sub esse specifico.

Cap. v. de solutionibus argumentorum, quae non concludunt immortalitatem.

SOlent induci duae rationes: prima, si anima non esset perpetua, frustraretur proprio fine, in quem tendit / & inclinatur per naturam: talis est beatitudo Dei futura: qm̃ illa quae habetur in uita non potest a nobis auferre calamitates/nec mortem: quare desiderium naturale esset uanum. Ista tamen ratio esset uera, si tale desiderium alterius uitae/ seu inclinatio ad eam esset nobis connaturalis. Licet enim homines appetant q̃felicissime uiuere, istudq; sit commune desiderium: nõ tamen cadit sub eo uelle iterum uiuere post primam mortem. istud enim nõ est s̃m naturam. nec qui uirtuose uiuit in uita ista est miser. Nam & multi ex ueteribus dicebant q ad nostrum bene operari succedunt delectationes, quae sufficiunt perficere istam formã intellectiuã: aberrabant tamen, si putabant animam non esse capacem maioris boni. Nec inclinatio ad istud est cõtra naturã: qm̃ bonum quod est obiectum uoluntatis nostrae, non coartat ab aliquo terminato a materia/ & continuo: unde nec isto casu uoluntas exigit impossibilia, sed multum difficilia: qm̃ tale bonum est omnino supra nostrã facultatem. non .n. dependet ex operibus nostris q homo possit frui Deo in patria: nisi quia Deus statuit talem beatitudinem hominibus bene merentibus. Inclinatio igitur naturae animae ad

ſemper eſſe non probat ĩmortalitatem: nec oportet quantũ ad Deum: qui etiam ſi eſſet mortalis, poſſet ſibi/ ac etiam corpori impartiri ĩmortalitatem. eſt enim par ratio de am-bobus. Nec concludit aliud fundamentum ſumptum ex iuſtitia diuina, ex eo ꝙ ſæpe uirtuoſi patiuntur, & uitioſi ex-tolluntur. Vnde Paulus ad Cor. primo: Si in hac, inquit, uita tantum eſſet ſpes noſtra, miſerabiliores eſſemus omni-bus animalibus. Ad hoc Aug. in lib. Confeſſ. reſpondit: Iuſſiſti, inquit, domine, & ita eſt, ut ſit ſibi pœna omnis pec-cator: & uult dicere ꝙ dolor in mente eſt ſtipendium pec-cati, cedens loco pœnæ: ſicut ad ſtudioſam operationẽ ſucce dit gaudium: quod eſt eius præmium: utcunq; tamen iu-ſtitia reddit ſolum quod eſt ſuum: præmium uero æternũ non debetur alicui ex aliqua iuſtitia/uel equitate, ſed ex lar-gitate. Et licet ſint aliqui adeo praui, quibus nulla uidetur ſufficere pœna: ex hoc non poteſt inferri ſm iuſtitiam ꝙ reſeruetur ad pœnam perpetuã: ſicut nec qui bene egerunt, ad præmium perpetuum: quia ſunt improportionata bono finito. Nec ut aiunt uiri fortes: qui exponunt ſe periculo mortis, perdunt præmium: qm̃ acquirunt famã, & hono-rantur in rebus publicis. Deſideriũ nanq; naturale uel eſt reſpectu propriæ formæ, & iſtud completur quando accipit eſſe: & ſub iſto homo potius deſiderat permanere. Alia eſt inclinatio ad actũ ſecundum: quæ eſt perfecti ad cõmuni-candam ſuam perfectionem media operatione: & iſta uocat potentia accidentalis: quia de eſſe ad operari. Si igitur operatio non poteſt ex ſua natura excedere potentiam for-mæ: rationes ſupradictæ, quæ procedunt ex eodem funda-mento, licet ſint ueræ: quia fundatæ in fide/& promiſſioni-bus illius, qui nequit fallere, nec falli: non tñ concludunt ſimpliciter, nec naturaliter: quia ſumuntur ab extrinſecis animæ. Quare ut rudes & qui non uacant contemplationi-bus ſupernoꝝ, eſſent certi de ĩmortalitate animæ, Chriſtus

monuit eos in euangelio : cum inquit : Nolite timere eos, qui corpus occidunt : animam autem nō possunt occidere. Est sane difficile tā grāde donū prospici, nisi a sapientibus, & nō ab oībus, quia non ab illis qui asserunt ꝙ intellectus humanus sit beatus qñ efficitur, adeptus ꝑ illas tres sciētias, uꝫ physicam/mathematicā/& metaphysicam. Istud enim nunq̄ fuit repertum, & si fuisset, duraret per paucum tēpus: quare solum cognoscitur ab illis, qui ultra sapientiā possunt mediante fide/& caritate eleuari in deum/& uniri cum eo tanquam cum causa, quam cuncta in mundo imitantur & colunt : Quod sane facere debemus : qm̄ si omnia pene quæ agimus hic, ut quiescamus, uelut ortui nostro deuia primum angunt mentem : & paulopost habita uilescunt : ideo excussis tenebrosis sarcinis cupiditatum mundanaꝝ in altum spes nostræ subleuandæ sunt : solusq; Deus omni attentione colendus : ut patriæ, cui præest, nunc saltem animi electione ciues illius sedulo uocitari, & mox ueri incolæ fieri possimus.

Deo gratias.

ABCDE : Omnes terni excepto . E . quaterno.

Romæ in ædibus Iacobi Mazochii Romanæ Academiæ bibliopolæ Anno a Virginis partu Millesimo Quingentesimo Vigesimo primo. Decimaseptima mēsis Augusti. Pontificatus. S. D. N. Leonis Papæ. X. Anno nono.